
NIL SINE DEO

DISSERTATIO

HISTORICO - JURIDICA INAUGURALIS

DE

JURE, QUO GELRIAE DUCATUS AC ZUTPHANIAE COMITATUS DOMUI AUSTRIACAE CESSIT.

DISSERTATIO
HISTORICO-JURIDICA INAUGURALIS,

DE

JURE, QUO GELRIAE DUCATUS AC ZUTPHANIAE COMITATUS DOMUI AUSTRIACAE CESSIT.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

CORNELII JACOBI VAN ASSEN,

J. U. DOCT. ET PROF. ORDIN.

ET

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT,

JOHANNES GUILIELMUS VAN THYE HANNES,

SYLVA-DUCENSIS.

AD DIEM XXI. JUNII MDCCCXXX, HORA XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD HAAK ET SOCIOS,

MDCCCXXX.

VIRIS

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

GUILIELMO HENRICO VAN THYE HANNES,

AB EMPEL ET MEERWYCK,

ORDINI EQUESTRI IN BRABANTIÂ SEPTENTRIONALI ADSCRIPTO, URBIS SYLVAE-DUCIS MAGISTRATUI (*WETHOUDER*).

PATRI OPTIMO, CARISSIMO OMNI AMORE COLENDO,

ET

HENRICO ANTONIO VAN RAPPARD,

J. U. DOCTORI, ORDINI EQUESTRI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO, RERUM CRIMINALIUM IN GELRIA PROCURATORI.

AVUNCULO DILECTISSIMO OPTIME DE SE MERITO.

Hasce, qualescunque studiorum primitias dedicat,

AUCTOR.

Een verhael van 't gepasseerde is als of het op een Tooneel wiert gerepresenteerd; Elck speelt syn Rolle, elck spreeckt syn tael, de schryver doet niet als swygen.

AITZEMA.

PRAEFATIO.

Antequam optatam metam studiorum attingam, ex consuetudine majorum officium mihi incumbit ingenii specimen publice edendi. Jam materiam scriptionis quaerens, aptam tempori, simulque viribus meis non repugnantem diu haesi. Diversis autem ex jure Civili, locis frustra pensitatis, in mentem mihi venit ex historia patriae nostrae, quam semper toto animo amplexus sum, argumentum quoddam petere; quod saepius in Gelria, hospitio et consuetudine amicorum usus, multum audiveram et legeram, de contestationibus Ducum Gelriae et Comitum Hol-

landiae, praetereaque de rebus gestis Caroli Egmondensis, Ducis Gelriae, et omnia quae de his tradita nostram aetatem tulerunt, avide consectatus sum, speciatim de Jure quo Gelriae Ducatus ac Zutphaniae comitatus Domui Austriacae cessit. Hanc igitur qualemcumque dissertationem B. L. benigno, ut accipias, animo etiam atque etiam rogo.

Palladis autem sedi valedicturus, publice gratum obtestor animum, iis qui de me meisque studiis optime meriti sunt; neque hoc quidem quoniam id, in praefationibus fieri solet verum potius quia persuasum habeo, paucissimos sane pluribus discendi opportunitatibus, tot ac tantis in se collatis beneficiis gloriari posse, quantis mihi gaudere licuit; quae si referre non possum, publicas tamen pro iis gratias agere meum esse arbitror, eloquentiae patri assentiens. »Nullum »esse liberaliter educatum, cui non educatores, »cui non magistri sui, atque doctores, cui non lo»cus ille mutus ipse, ubi alitus atque doctus est »cum grata recordatione in mente versetur (1). *Quod ut rite fiat ad ipsos illos quibus tot ac tan-*

(1) Cic. Pro Cn. Plancio Cap. 33.

ta debeo veluti praesentes me converto, ut quasi coram haberi sermo videatur. Quod si vero universe Clarissimorum virorum monitis praeceptisque animum et mentem meam excultam esse, libenter profitear, Vobis tamen inprimis praeceptores aestumatissimi, in hacce Academia Juris Antecessores, gratias ago, semperque habebo, quas possum maximas, cum pro egregiis quibus me imbuistis institutionibus, tum vero pro dulci consuetudine qua mihi semper uti licuit. Servet Vos D. O. M. diu incolumes in honorem Jurisprudentiae, in commodum et utilitatem studiosorum, in salutem patriae cujus firmissima Vobis contigit esse fulcra.

Vos inprimis grati animi tributum accipiatis viri Cl. H. W. TYDEMAN, *promotor honoratissime, et Tu exoptatissime* SIEGENBEEK, *pro auxiliis et consiliis praestitis, in conficiendo hocce opusculo. Vestris institutionibus, praeceptis, monitis, curae denique benivolentiaeque erga me singulari, quidquid in Jurisprudentiae scientia profeci id me debere, grato animo profiteor.*

Finiturus eram si immemor esse possem, tuorum egregiorum amicitiae testimoniorum, Vir

Consultissime Amplissime SCHONCK, *Curiae Supremae, quae Hagae-Comitum est, Senator, qui mihi, licet parum tua exoptata consuetudine uso, pretiosissima praebuisti manuscripta* ROBEREI KEUCHENII *JCti Arnhemiensis, ad illustrandam Gelriae Historiam. Easdem accipe gratias Doctissime atque Humanissime* NYHOFF, *Archivarie scriniorum Historiae Gelriae; eadem me prosecutus es cura, eadem benevolentia.*

DISSERTATIO
HISTORICO-JURIDICA INAUGURALIS

DE

JURE, QUO GELRIAE DUCATUS AC ZUTPHANIAE COMITATUS DOMUI AUSTRIACAE CESSIT.

Introductio.

Antequam initium facimus scribendae Historiae Gelricae, primo aliquid dicendum est de origine nominis, de situ et de divisione Gelriae, de fluminibus Gelriam perfluentibus, de incolis, de moribus et de Jurisdictione Gelriae.

Nomen *Gelderland* primum usurpatum videtur anno 1547 (1) et non, ut decitur a multis scriptoribus, post unionem Ultrajectensem anni 1579, quia ante hoc tempus semper dicebatur Ducatus *Gelre* vel *Gelder*, quod nomen repetendum est ab urbe ejusdem nominis perantiqua, quae postea, pace Ultrajectina anni 1713, cessit regi

(1) Vid. Doct. G. v. Hasselt in op. het Hertog-Rijk van den Hertog van Gelre.

Borussiae. Ducatus Gelriae una cum Zutphaniensi Comitatu extrema fere, versus Boream Belgicae regio, flumine Mosa, et trinis Rheni cornibus in Oceanum Germanicum, ejusque sinum Australem sese exonerantibus, intercisa distinctaque est.

Ejus limites sunt, ab Oriente Clivia et Trans-Isalania, Westphaliaque; ab occidente, provinciae Trajectensis et Hollandia; a Meridie, Ducatus Brabantiae, a Septentrione, mare, quod dicitur, Meridionale (Zuider-Zee).

Gelria dividebatur in quatuor Tetrarchias (1). Neomagensem, Ruremondensem, Zutphaniensem, et Arnhemiensem vel Velaviam.

Tetrarchiae Neomagensis, Zutphaniensis et Arnhemiensis conficiunt provinciam hodie Gelriam dictam; Tetrarchia Ruremondensis divisa est inter plures provincias.

Sed quia hae tetrarchiae quaeque propriam habent originem, propterea etiam separatim sunt tractandae.

Et primo videamus de tetrarchia Neomagensi. Omnium prima est, et primum in comitiis majoribus suffragium obtinuit. Urbes erant: Neomagum, Thiela et Bomelia, quibus aliae accensentur, quae tamen nullum jus suffragii habebant. Est autem Neomagum tetrarchiae istius Metropolis, sita ad ripam

---

(1) Voce Tetrarchia Pontanus utitur pro *Kwartieren.*

sinistram Vahalis. Hujus tetrarchiae partes censentur ditio Neomagensis (Belgice dicta 't Ryk van Nymegen), Batavia superior et inferior, Thielaeque et Bomeliae insulae, quas Thieler- et Bommeler-weerd vocant, una cum Beesda et Renooya aliisque regionibus quae inter Mosam et Vahalim sitae sunt (1).

Neomagum non statim ab initio urbs fuit. ibi erat villa Regia (Rijkshof) ubi imperatores interdum veniebant, ut ibi fructus ex agris perceptos consumerent. Urbs habebat castellum (burg) et totus ejus ager pertinebat ad villam Regiam (2).

De Tetrarchia Ruremondensi breviter dicemus, quia de hac tetrarchia non multa memorabilia traduntur in historia et nunc non pertinet ad Gelriam (3).

---

(1) Kemp in opere *over Gorichem en het Land van Arkel* cogitavit Beesdam et Renooyam antiquiore tempore pertinuisse ad dominos Arckelii. Nam dicit l. c. pag. 40. Johannes Cognomine Fortis, habebat, duos filios; natu majori dedit post mortem (a° 1272) dynastiam Arckel, natu minori Ottoni dynastiam Heukelem, nonnullas alias et Gellecom et Renooyam.

(2) A multis v. g. *Mart. de S. Simon Guerre des Romains et Bataves* Oppidum Batavorum apud Tacitum memoratum, idem habetur quod Neomagense, non Batenburgense. Hac de re vid. Joh. Smith Oppidum Batavorum Cap. I. p. 1–6.

(3) Hodie pertinet ad provinciam Limburgiam. Nomen Roermond origenem suam habet a flumine Rora (*Roer*).

Ejus caput est Ruremunda, ubi confluunt Rora et Mosa, urbs amoena, opulenta ac civibus frequens; oppida sub se minora habet Gelram, Venloam, Stralenam, Wachtendonckium, Montfortium, Erckelenam. Tota regio universe est plana, potius aperta quam montosa, nec tamen adeo declivis et humida, sicuti Hollandia.

Tertia est Tetrarchia Zutphaniensis, quam Isala et ducta olim a Druso in Isalam fossa a Velavia, totam separat.

In hac Zutphania est primaria urbs, frequens, copiosa, agro acclivi sita. Oppida hic minora sunt, muris cincta suffragiumque in comitiis habentia, Doesburgum, Doetecomum, Lochemum, Grolla. Zutphania jam dicebatur oppidum anno 1059 et bonum erat hereditarium, Ducis Godeschalk (1). Habebat conventus Canonicorum (kapittel van Kanonniken) cum praefecto eorum (vulgo Proost dicto); fruebatur quoque antiquissimo tempore juribus nonnullis; quum enim Imperatores aut comites aliique vellent dare aliqua jura urbi, dicebatur urbs fruitura iisdem juribus atque urbs Zutphania. Ex hoc probari potest Zutphaniam esse urbem antiquissimam, uti Neomagum et Thielam. Antiquissimo tempore Zutphania habebat

(1) Oppidum tamen non ita accipiendum est, ut idem significet quod hodie urbs dicitur: erant tantummodo domus et sedes circa castellum (*burg*).

Dominos, non Comites: quod colligi potest ex epistola anni 1059 Episcopi Guilielmi Ultrajectensis, qui scripsit de discordiis, quae locum habuerunt inter decessores suos et Dominos Zutphaniae (1).

Quarta Tetrarchia est Arnhemiensis vel Velaviae, cujus caput Arnhemum; (2) ubi erat Senatus supremi sedes ac curia. Urbs haec situ amoenissima est, hinc colles, sylvae, aquarumque scaturigines ac prata, illinc Rhenus praeterlabens, et ad utramque ripam laetissima pascua.

Arnhemum originem suam trahit a Comite Ottone II, anno 1233, uti etiam Harderovicum anno 1230 et Wageninga anno 1263 (3). Oppida minora habet Harderovicum, Wageningam, Hattemum et Elburgum.

Ab hoc autem tractu Gelriae longitudo sumenda est, quae est milliariorum 26 aut circiter, si incipimus a pago Oosterwoldio, qui prope Elburgum, Doornespicensi pago adcensetur. Estque pars maxime Septentrionalis, usque ad meridionales ejusdem Ducatus terminos, qui in satrapiam Ruremondensem circa vicum vulgo Echt dictum desinunt. Circuitus fere est 95 Mil-

(1) Vid. Bondam Chart. p I. N°. 89.

(2) Multi putant eandem hanc esse urbem quam Tacitus vocat Arenacum.

(3) Charterb. p. 379, 404, 559.

liariorum, sed de latitudine inter scriptores non convenit

Praetermissa est in hac terminorum circumscriptione Ruremondensis ditio, quod ea a reliquis Gelriae partibus sejunctior, magis videtur seorsim tractanda. Erit itaque terminus illi ad occidentem fluvius Mosa ab Afferdo vico, qui Milliarii unius spatio a Gennepo distat, Echtam usque, duobus ultra Ruremondam lapidibus.

Flumina principalia Gelriae sunt Rhenus, Vahalis, Mosa et Isala.

Primo aliquid dicamus de Rheno. Rhenus a Virgilio Rhenus Bicornis dictus, originem suam trahit ex Helvetia; divisus fuit antiquiore tempore, ut etiam hodie, in duos alveos, prope excursum suum in Oceanum Septentrionalem, et efficiebat insulam Batavorum (1). Alveus dexter tenebat nomen Rheni, et habebat exitum in mare, ubi nunc est Catvicum; alveus sinister accipiebat nomen Vahalis.

Dicenda sunt quaedam de loco ubi Rhenus separatus fuerit a Vahale.

Altinii cogitavit hunc locum esse Burginatum ('s Gravenweert vel Schenkenschans). Sed universe est animadvertendum, non posse dici aliquid certi de situ regionis, et de cursu flumi-

(1) Caesar de Bello Gallico L. IV. Cap. 10. et Tacitus de Mor. Germ. Cap. 1.

num, quia haec non tantum cursum suum mutabant singulis seculis, sed aliquando quolibet anno. Regio erat palustris saepius inundata fluminibus; non incongruum igitur videtur fluminum alveos mutatos fuisse, antequam cohiberentur aggeribus eorumque munimentis (dijken en kribben), nam ante medium seculum XIII. aggeres erant incogniti; et principes posteriori tempore hac ex re pecuniam suam auxerunt, quod patet ex epistola aggerali (dijkbrief) Reinaldi de Gelder anni 1316, qui vendidit nonnullis pagis, aggerem et aquae ductum in agro Thielae interamni (Tielerweert) (1).

Spectantibus ipsam regionem et Rhenum videtur valde esse verisimile, hoc flumen antiquiori tempore, cursum suum multo magis habuisse versus partem occidentalem, quam hodie. Haec res illustrari videtur posse ex historia Jotae, quae dedit anno 891 nonnulla bona monasterio Laureshamo, et tamen fuere nonnulla eorum, quae hodie ad ripam ninistram Rheni, in regione, Duffelt dicta, sunt sita, tempore Jotae in pago Batua et igitur ad ripam dextram Rheni sita.

Etiam videtur flumen antea cursum suum habuisse, juxta Smithuizen in fine seculi XIII, postea mutasse et praeterfluxisse Emmericam,

(1) Vid. Arch. Waardenburgii.

quod ex inde colligimus, quod Reinaldus filius de Gelder, favens Petro Domino Leckii anno 1318, vectigal suum transtulit a Smithuizen ad Emmericam, quae urbs sita est ad Rhenum (1).

Sed de loco ubi divisus fuerit Rhenus ut jam dixi, nihil certi possumus dicere, tamen plerique credunt fuisse illum ultra Burginatum et igitur insulam Batavorum majorem fuisse quam hodie.

Vidimus de alveo dextro Rheni. Nunc videamus de sinistro Vahali dicto; cursum suum habet juxta Neomagum, flectens sese ad Thielam, fluit inter meridiem et occasum usque ad arcem Loevesteyn, quo loco vahalis se conjungit cum Mosa, unde haec duo flumina nomen accipiunt Merwede; sed hoc nomen non diu retinent, nam mox recipiunt nomen Mosae et profluunt in mare Septentrionale.

Posteriori tempore Vahalis cum Mosa conjunctus est, prope castellum St. Andries (2).

---

(1) Hac de re Vid. Hof *Oude Stukken*. N°. 1570. D.

(2) Fuit etiam tertius Rheni alveus versus septentrionalem Gelriae partem ubi nunc est sinus maris Australis (*Zuiderzee*). Indicat hoc *Pomponius Mela de Situ orbis*. Lib III. Cap. 2. in fine. «Rhenus ab Alpibus decidens, «prope a capite duos lacus efficit, Venetum et Acro«nium. Mox diu solidus, et certo alveo lapsus, haud pro«cul a Mari huc et illuc dispergitur; sed ad sinistram «amnis etiam tum, et donec effluat, Rhenus; ad dextram «primo angustus et sui similis, post ripis longe et late

De flumine Mosa aliquid est addendum. Originem suam ducit e Francia deinde perfluens regionem Leodiensem (Luikerland vulgo dictum) juxta Ruremondum et Venloam fluit per Brabantiam Septentrionalem, juxta Graviam, inde juxta nonnullos pagos et castellum St, Andries et Crevecoeur usque ad locum quo se conjungit cum Vahale.

Isala vel Isala Vetus, originem suam habet ex regionibus montosis Westphaliae, currit juxta Mariendaal et Ringelberg, in Ducatu Cliviensi, et inde versus Septentrionem cursum suum habet juxta Doetichemum, in Comitatu Zutphaniae et se conjungit prope Doesburgum cum Isala Nova; hae duae conjunctae nomine Isalae praeterfluunt Zutphaniam, Daventriam

---

»recedentibus, jam non annis sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur: ejusdemque nominis insnlam »amplexus, fit ieerum arctior iterumque fluvius emittitur." Ceterum Rheni alveos describit *Tacitus Annal.* II. 6. »Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insu»las circumveniens apud principium agri Batavi, veluti »in duos amnes dividitur servatque nomen et violentiam »cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano mis»ceatur; ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens, »verso cognomento (Vahalem accolae dicunt) mox id quo»que vocabulum mutat Mosa flumine ejusque immenso »ore, eundem in Oceanum effunditur." Conf. etiam de cursu Mosae et Rheni *Caesar de Bello Gall.* Lib. IV. Cap. 10.

usque infra Campenum, et tunc effluunt in Sinum Oceani Meridionalem (*Zuiderzee*). Isala etiam cum Rheno communicatur per canalem, qui a Druso nomen habet.

Tempore bellorum Romanorum contra Germanos, incolae Gelriae erant, Sicambri, Menapii, Usipetes et Batavi. Habitaverunt etiam extra Gelriam.

Batavi habitaverunt Neomagum et magnam partem Gelriae et praecipue in Velavia ab iis dicta Insula Batavorum, et in qua erat oppidum Batavorum (1).

Usipetes coluerunt Goilandam, quae anno 996 pertinebat ad comites Zutphaniae, uti docet historia.

Menapii habitaveaunt utramque ripam Rheni, et fortasse igitur etiam partem Gelriae.

Sicambri erant incolae Zutphaniae (2).

Nunc aliquid dicendum est de moribus Gelrorum. Quia erant origine Germanica conveniunt etiam cum ejus regionis incolis, moribus. Erant acres, audaces, fideles, bellicosi, et periti belli; erant etiam ambitiosi, iracundi, veluti semper sunt viri audacissimi.

---

(1) Caesar de Bello Gall Lib. IV. Cap. 4 et 10. et Tacitus Hist. Lib. V. Cap. 19.

(2) Vid. Caesar de Bell. Gall. Lib. IV. Cap. 18.

Navarchus Frisius, Pĕtrus Longus, Belgice vulgo dictus Lange Pier), dicit de Gelris eos comparans cum Hollandis: »Gelros impensâ, et »sumptibus splendidos, quaestu et opibus tenu»es, animosos non timidos, victoriosos non »inertes (1)."

Ultimo aliquid dicendum de jurisdictione in Gelria. Erant leges in hisce regionibus, sed jus cedebat armis. Vim habuerunt in Gelria leges Francorum Saliorum, Frisiorum et Saxonum (2). His jungebantur nonnullae leges Imperatorum Germanorum quae similitudinem habebant cum Jure Romano, quod superest in Codice Theodosiano. Instauravit deinde studium Juris Rom. Justinianei Irnerius Doctor in Schola Bononiensi, initio seculi XII. et multi Germani proficiscebantur illuc ut discerent jurisprudentiam. Utebantur quoque Jure Canonico quod sub pontifice Eugenio III medio seculo XII collectum et compositum fuit a Monacho Gratiano. Et ita postea etiam Jus Romanum

(1) Apud Pontanum Hist. Gelrica Lib. XI. pag. 677. Slichtenhorst dicit *Geld. Gesch.* Lib. XI. pag. 350. de Gelris

«Hoog van moed,
«Klein van goed,
«Een zwaard in de hand,
«Is 't wapen van Gelderland."

(2) Vid. Charterb. I pag. 19, 20, 43.

et Jus Canonicum conjunctum, docebatur in academiis quod patet ex epistola qua vendita sunt nonnulla bona anno 1256 comiti Ottoni (1).

Crimina minora puniebantur pecunia, et mulcta cedebat aerario comitis.

De homicidio etiam poterant transigere, et pecunia hac de re soluta, dividebatur inter comitem et consanguineos occisi.

Poena capitalis, vel amputatio nonnullorum membrorum, locum habebat si solvere non poterant. Tributa non cogebantur solvere. Quae tributa innotuerunt seculis sequentibus nomine belgico *beden*.

Denique dicendum est de sermone qui adhibebatur verbi gratia in epistolis; hic semper erat sermo Latinus; prima epistola sermone Belgico, est Reinaldi I, anni 1287.

---

(1) Charterb. I. pag. 316, 364, 498, 514.

Pars Prima.

CAPUT PRIMUM.

GELRIA SUB COMITIBUS.

Nonnulli scriptores, inter quos Joh. Isac. Pontanus, dicunt Gelriam antiquiori tempore (ab anno 879–1094. P. C. N.) regnatam fuisse a praefectis. Praefecti illi primi, quum nondum tam amplam haberent potestatem, atque auctoritas eorum arctioribus etiam limitibus circumscripta esset, *voogden* vocabantur; cujus nominis origo repetenda est, a significatione veteris verbi *voogden*, quo apud majores nostros gubernatores, tutores, curatores, indicabantur. Sed cum Ampl. van Spaen dicemus fieri non posse ut omnes praefectos nominemus. Potius dissseremus de eorum historia; quamobrem hos omittimus et initium facimus ab imperio Comitum.

Nomen comitis Gelriae primum invenitur anno 1094, quo tempore testis fuit in epistola (1), et fuit ille Gerhartus, de quo pauca scimus. Gelriam tanquam feudum habuit ab Imperatore Germano Henrico IV. (regnavit ab anno 1061—1107). Comes fuit usque ad annum 1117, quo mortuus est, nam ultimo loco nomen ejus occurrit in epistola diei 14 Septembris anni 1117; quo tempore adfuit ipse cum filio suo Gerharto traditionibus quae fiebant ab Archiepiscopo Coloniensi Frederico, montis Menegelpe, monasterio Siflick. Haec epistola utilissima est, quia nobis illustrat dubium antiquioris conjunctionis Gelriae cum Zutphania, et Henricus comes Zutphaniae nominatur inter testes hujus epistolae; unde probari potest eo tempore duos hos comitatus separatos fuisse. Regnante Gerharto mortuus est Imperator Henricus V (nam pater ejus Henricus IV jam ante, regnante eodem, mortuus erat), Ultrajecti anni 1116, successorem relinquens Lotharium. Gerhartus non diu superstes fuit Henrico, nam mortuus est anno sequente: filius ei successit in comitatu nomine Gerharti II.

Pauca tantum eorum quae fecit ante annum 1128 ad notitiam nostram pervenerunt. In fine

---

(1) Vid. v. Spaen, *Oord. Inleid. tot de Hist. van Gelderland T.* I. *p.* 209.

hujus anni accusatus est ab Hermanno de Cavalage quod struxisset insidias adversus Imperatorem Lotharium, et esset amicus regis electi Itali Conradi III; et auxilium praebuisset Archiepiscopo Coloniensi, qui per biennium jam se opposuerat Imperatori Lothario.

Mense Februario anni sequentis profectus est Coloniam, ut eam sine conditionibus sibi subjiceret in favorem Lotharii. Mense Martii ejusdem anni jam venit in amicitiam Imperatoris; nam die 8 Martii anni 1129 adfuit Comitatui Imperatoris Duisburgi, et tunc cognominabatur Longus (1).

Regnante eo, res accidit gravissima, quum enim per matrimonium se conjunxisset cum Ermgarda sola comitatus Zutphaniae haerede, conjunctus est ita Comitatus Zutphaniae cum Comitatu Gelriae et filius eorum Henricus primus fuit Gelriae et Zutphaniae Comes.

Nonnulli recte putant Gerhartum II mortuum esse anno 1131, et viduam ejus Ermgardam novum matrimonium iniisse cum Conrado Comite Lutseburgensi.

Hoc tempore nonnullae discordiae ortae sunt inter Florentium Comitem Hollandiae et Dominos Cucae de nonnullis bonis allodialibus sitis

---

(1) Tesschenm. Cod. Dipl. N°. 3: et ibi dicitur Comes Gelriae Gerhartus Longus.

in Velavia et Betavia. Sed hac de re nihil amplius dicemus, quia Comites Gelriae hac in re nil fecerunt.

Sed nonnulla sunt dicenda de causis quibus Gelria cum Zutphania conjuncta est.

Otto filius Godeschalkii successerat patri suo anno 1076 et mortuus erat anno 1113, relinquens uxori suae Judithae, duos filios, Henricum et Didericum, et unam filiam Ermgardam, qui singuli deinceps patri suo successerunt; hi duo fratres moriuntur sine prole et soror eorum jure hereditario succedere iis debebat. Ut jam diximus Ermgarda post mortem Gerharti matrimonium inierat cum Conrado Comite Lutseburgensi, uti probari potest ex eo quod Comitissa Ermgarda, Domina hereditaria (Erfvrouw) Zutphaniae, cum marito Conrado Comite Lutseburgensi et filio Henrico attribuerunt Capitulo Zutphaniensi ecclesiam Logchemensem cum omni decimatione (tiende) ut beati essent animi mariti Gerharti, patris Ottonis, matris Judithae, et fratris Episcopi Diderici et Comitis Henrici et Gerharti patris.

Sed quaeri potest quare nomen Zutphaniae semper adjunctum fuerit Gelriae, quamvis alii quoque comitatus continerentur eodem nomine Gelriae?

Ad hanc quaestionem responderi potest, omnia bona fuisse feuda, sed Zutphaniae allodia-

lia, et Imperatores non fuisse ejus dominos; quamobrem antiquiore tempore nominabantur haeredes legitimi Oppidi Zutphaniensis. Altera quaestio est quare administratores posteriores Zutphaniae dicerentur Comites? nam Godeschalk dicebatur Dominus, et filius ejus Otto et nepos ejus Henricus dicebantur Comites. Hoc ita potest explicari: Godeschalk et uxor ejus Adelheida dicebantur Domini haereditarii (Erfheer en Erfvrouw). Godeschalk habebat Comitatum in Westphalia, et Zutphania erat bonum hereditarium Adelheidae: nominabantur ab urbe principali ubi domicilium habebant (et erat haec Zutphania), et Henrico sine liberis mortuo Comitatus et feuda Westphaliae redierunt ad Imperium, nam successores bonorum feudorum soli sunt filii et fratres (1); et Ermgarda solam retinuit Zutphaniam; et videntur Comites Gelriae retinuisse nomen Comitis Zutphaniae, quia ante Ermgardam dicebatur Comitatus Zutphaniae. Haec sufficiant de conjunctione Zutphaniae cum Gelriae Comitatu; nunc revertamus ad regnum Henrici, qui vulgo tantum vocatur Comes de Gelder; verosimiliter natus est anno 1120.

Episcopatus Trajectensis vacuus erat anno 1150 quo mortuus erat Episcopus Hegibertus.

---

(1) Vid. *Schrassert* Manip. Sic. Feud. Cap. VIII.

De electione novi episcopi contentione orta, Henricus, ut eligeretur Hermannus Hornensis, volebat. At Trajectensium civium pars maxima, et his Daventria et qui in agris degebant conjuncti, (vulgo Sticht dicitur) Fredericum Homelium vel ut alii scribunt Havelium petebant. Hac de re multae discordiae ortae sunt; sed Hermannus victoriam reportavit; nam mortuo ei anno 1156 successit Gothofredus a Rhenio. Comes Henricus suscepit anno 1156 expeditionem cum Imperatore Frederico in Italiam et adfuit obsessioni Mediolani. Ex hac expeditione reversus est anno 1162. Anno 1165 magna fuit inundatio; et hocce loco non omitti debet diploma Frederici Imperatoris cognomine Barbarossae, quo is hocce anno praeter alia Henrici quoque Comitis Gelria mentionem faciens memorat, ejus aliorumque principum virorum, ut Godefredi Trajectensium episcopi, Florentii Hollandiae, et Theodorici Cliviae Comitum petitioni atque instantiae indulsisse, ut Noda (hodie Grebbe) agger, qui alias Nieda dicebatur, inter Rhenum et mare positus ad evitandas Oceani eluviones, humana opera perfoderetur, et ea quae circa Batavodurum Rheno erat objecta moles, sarta tecta permaneret, sublato quem Hollandiae Comes prope Suadenbergam strui curaret Rheni obici. Peritia et mores Henrici ei videntur animos conciliasse principum vici-

norum, nam cum Comitibus Bouloniae et Cliviae, amicitiam restituit anno 1168 inter Comites Flandriae et Hollandiae de regione inter Scaldum et Heederzee.

Henricus habuit duas uxores; Agnetem, ex qua natus est Gerhartus; uti probari potest ex epistola, qua monasterio Sanctae Mariae et Sancti Laurentii Ostbruggio anno 1179 dono dedit agrum ad Isalam, prope Spankeren situm, consentiente filio Gerharto in felicitatem animi matris Agnetis. Et in hac epistola se nominat Legitimum haeredem Zutphaniae (1).

Praeter Gerhartum ex hoc matrimonio natus est Otto, qui postea Comes Gelriae fuit, et filia Margaretha, quae matrimonium iniit cum Engelberto Comite a Monte, Maria cum Gerharto Comite a Loss et Agnes cum Henrico Coeco Comite Namurcensi et Lutsenburgensi.

A nonnullis scriptoribus dicitur Henrico successisse Gerhartus quia nomen Comitis gessit (2). Sed hoc fieri non potuit, quia pro-

---

(1) Ego Henricus Divina Gratia Legitimus heres Zutphaniensis Oppidi notum facio omnibus Christi caet. vid. *van Spaen*, *Oord. Inleid. tot de Geld. Historie*, II. *D. Cod. Dipl. N°.* 27. Causa ob quam Henricus in hac epistola se non vocet Comitem haec afferri potest quia hic ager erat ex proprietate Dominorum Zutphaniae.

(2) Vid. Charterb. p. 225.

bavimus ex antiquis scriptis Henricum mortuum esse anno 1182 et filium ejus anno 1181, quod etiam scribit Pontanus; qui tamen dicit Gerhartum fuisse Comitem, non vero tunc addidit cujus regionis. Sunt etiam qui dicunt Gerhartum fuisse Comitem Velaviae quia Velavia erat Dos matris ejus. Sed constat eum nomen gessisse Comitis Boloniensis, ab uxore Ida Comite Boloniensi, filia Matthaei a Flandria (1). Et successor igitur Henrici fuit filius ejus natu minor Otto, floruit tempore Frederici Imperatoris Romanorum vir valde strenuus. Uxorem duxit Richardam Ducis Brabantiae filiam, anno 1182, quae tres illi peperit filios nempe Henricum, Ottonem qui fuit Episcopus Trajectensis et Gerhartus, qui patri successit in Comitatu et unam filiam Adelheidam nuptam Gulielmo Comiti Frisiae. Bellum gessit contra Episcopum Trajectensem, in quo expugnavit Daventriam. Hac autem obsidione finita, Veluam Gelrensi Comitatui adjecit, hac

(1) Gerhartus Comes, Idam filiam Comitis Boloniensis duxit uxorem et brevi postmodum mortuus est *Auctuarium, Aquicinctinum ad annum* 1181. Gerhartus Comes de Gelre Idam filiam Matthaei et Mariae Comitissae Boloniensis duxit uxorem et brevi postmodum mortuus est *Anselmi Gembiae ad annum* 1181. *ad Pist. S. R. G. Tom.* I. *p.* 989. In Archivis Comitatus Atrebasensis est epistola cujus Titulus est, *Lettres de Gerard Comte de Boulogne et de Gueldre.*

tamen lege, ut in feudum ab Episcopo Trajectensi acciperetur. Hoc autem bello composito cum Imperatore Frederico in Terram Sanctam, anno Comitatus sui octavo, proficiscitur cum Philippo Francorum et Richardo Anglorum regibus et Florentio Hollandiae et Philippo Flandriae Comitibus, unde et revertitur non sine gloria.

Interim exsurgit inter Trajectensem Episcopum, et Theodoricum Hollandiae et Ottonem Gelriae Comites, magna lis eo, quod Trajectensis Episcopus, Guilielmum, Orientalis Frisiae Comitem, Theodorici Hollandiae comitis fratrem, infestaverat, eique vim intulerat, quare grandi manu coacta, alter Gelriae comes Trans-Isalaniam et alter Cis-Isalaniam populatur, munimentisque Daventriae a Gelriae comite oppositis, urbs ea oppugnatur.

Postea pax inter Gelriae et Hollandiae Comites est firmata, hac autem lege ut Gelriae comitis filius Henricus uxorem duceret alterius comitis filiam qui ambo juvenili aetate decesserunt, sepulti in Reinsburgico manasterio. Postea Otto Gelriae et Didericus VII, Hollandiae Comites conjuncti bellum gesserunt contra Episcopum Ultrajectensem, qui vectigalia imponere Frisiis volebat. Otto invasit Trans-Isalaniam et Comes Hollandiae Ultrajectinum. Otto Saxoniae, qui successit in Imperium Germani-

cum anno 1198, et qui amicus Comitis Gelriae erat, convocabat partes rixantes Trajecti ad Mosam et ipse quoque eo proficiscebatur, stipatus Ottone Romanorum rege et Adolpho Coloniensi Archiepiscopo. A Duce vero Brabantiae captum eum esse quum Hollandi audivissent, solverunt obsidionem Ultrajecti, et petiverunt Brabantiam, urbe Sylva-Ducis expugnata die 7 Septembris anni 1202, captivos fecit comes Hollandiae, Guilielmum fratrem Ducis Brabantiae et Henricum Dominum Cucae. Postea vero Brabanti ceperunt ipsum Comitem Hollandiae; et ita Hollandia et Gelria erant sine Comitibus. Non diu post tamen libertatem receperunt; Comes Gelriae solvendo 2500 nummos, Marken dictos, quam pecuniam ne postea solvere negaret, obsides daret duos filios et viginti quinque filios vasallorum suorum; vel pignora daret Mosam et Vahalim et agrum Thielae et Bomeliae interamnem (Thieler- et Bommeler-weerd). Pax demum facta est anno 1203, qua Comes Gelriae omnia jura in vicum Megen amisit, et immunes Brabantinos et praesertim cives Sylvae-Ducenses, vectigalium quae Gelriae solvere debebant declarare, et quaedam alia concedere iis coactus est. Eodem fere tempore pacem fecit cum Episcopo.

Mortuus est tandem Comes Otto vicesimo

quinto regni sui anno et sepultus in Monasterio Campensi anno 1207.

Ut jam diximus, Ottoni successit Gerhartus III, anno eodem quo Otto mortuus est; et regnavit usque ad annum 1229; matrimonium iniit cum filia Henrici Ducis Brabantiae, Margaretha, ex qua nullam prolem genuit; tandem duxit Richardam, quae Ottonem Comitem et Henricum Leodiensem Episcopum peperit. Primum quod de Gerharto III memoratur, est donatio quaedam ab eo facta templo Sanctae Walburgis Zutphaniae, in felicitatem animae patris, sub ea conditione, ut missa solemnis fieret quotannis pro patre suo uti et pro Comitissa Ermgarda (1). De juventute ejus nihil fere est cognitum, nisi quod adfuit ludo equestri (Steekspel) Wormii a. 1209 (2). A fratre Ottone Episcopo Ultrajectensi accepit omnes agros domanios in Velavia (ut videtur) sita, quae locum habuerunt inter annum 1212 et 1215.

Postea quum socer ejus, Dux Brabantiae, inimicus factus erat Episcopo Leodiensis Hugoni, Gerhartus ei auxilium praebuit, et adfuit expugnationi urbis Leodiensis; Episcopus ita fuit iratus ut duos principes, ex ecclesiae

---

(1) Vid Charterboek p. 303. et Cod. Dipl.

(2) Teutsch. Turn. Buch. p. 196.

communione ejiceret (in den ban doen), quod confirmavit Pontifex Innocentius, et quod duravit per 18 menses, quum pax fuit restituta.

Durantibus his discordiis, Imperator Romanorum Philippus Suevus erat occisus die 11. Novembris anni 1208. Tunc magna suffragiorum parte eligebatur Otto Saxonicus; alii contra Fredericum Suevum eligere volebant, cui etiam favebat Pontifex; hic igitur inauguratus est Moguntiae 1210. Gerhartus partes ejus amplexus est, quo multae discordiae sunt ortae inter Ottonem et Gerhartum; nam Otto invasit Gelriam atque Comitem captivum fecit; qui tamen auxilio soceri libertatem recepit, et amicus Ottonis postea factus est (1). Mense Julii anni 1215 mortuus est Pontifex Innocentius atque tunc demum Otto in Imperio suo confirmatus est.

Anno autem 1227 lis orta est inter Egbertum Burggravium Groningae et Rudolphum Covordiensem, cujus litis participes etiam fuerunt Gerhartus et Episcopus Ultrajectensis. Gelriae totius exercitus post mortem Episcopi errore viarum alio delatus est, et prope Covordiam plerique gravissime vulnerati, in manus ac potestatem hostis vivi venerunt. Episcopus tum factus est Vilibrandus. Tempore electionis erat

(1) Vid Biese Hist. Gelr. M. S.

in Italia, sed statim venit Ultrajectum, et primum Gelriae comitem ut et reliquos qui dimissi erant, captivos a lytro, quod praeses Covordium poscebat, solvendi liberos atque immunes declaravit, praesertim cum idem praefectus a domino suo atque omnium qui in castris tum aderant principum virorum sententiis esset proscriptus ac praefecturis, quos nomine dioeceseos tenebat, abdicatus; quia dominum suum ut latro indigna nece contrucidasset. Mortuus demum est anno aetatis 40 die 22 Octobris 1129; sepultus est Ruremundae; qui locus post hoc tempus urbs facta est, quum ante tantum villa esset.

Successit ei filius Otto, ejus nominis Secundus. Quum ad regnum accessit minor adhuc natu erat, et videtur fuisse in tutela, quum die 11 Junii anni 1231 nonnulla dedit beneficia Hardervico, nam epistola ea clare docet omnia ejus gesta fuisse consiliis matris Richardis Abbatissae Ruremundae, Domini Henrici a Monte, Domini Frederici a Rehden, fratris domus Germaniae et Domini Arnoldi a Walchem.

Circiter hoc tempus, mortuus est Vilibrandus Episcopus Ultrajectensis, ut vulgo dicitur die 25 Julii 1223, sed minus recte, nam die 31 Augusti hujus anni dedit beneficia quae-

dam Zwollae, (1) sed hoc tamen anno mortuus est.

Anno 1235 Otto accepit ab Episcopo Ottone, successore Vilebrandi, civitatem Embricensem, tanquam feudum et anno 1247 dedit illi urbi beneficia (2).

Anno 1236 emit Grollam a domino Henrico a Borculo.

Anno 1239 se conjunxit cum avunculo Henrico Duce Brabantiae, eique auxilium promisit in omnibus rebus (3). Hoc tempore initium coeperunt accusationes haereseos; hoc maxime faciebat Ordo Dominicanus, ab hoc ordine etiam orta est inquisitio, quae postea et praecipue in Hispania, adeo crudeliter judicia sua exercuit.

A medio Seculo XI continuatae sunt discordiae inter Imperatorem et Pontificem et multi principes ecclesiae communione fuerunt privati. Hisce temporibus dignitatem Imperatoris Ottoni obtulit Cardinalis Petrus de Caputio legatus Pontificis; sed Otto non accepit; eamdem sibi oblatam Guilielmus Comes Hollandiae accepit, cui Otto auxilia tulit in obsessione Aquisgrani (4), dandis 16000 unciis argenti (mark zilvers); cujus pecuniae tanquam pignus accepit

(1) Vid. v. Hattem *Beschr. van Zwolle.* I. 125.

(2) Charterboek. III. N°. 9, 10, 15, 20, 52.

(3) Charterboek III. N°. 24.

(4) Vid. Meerman *Hist. van Koning Willem.* I 168.

castrum Neomagense, ita ut esset haereditarium et filiis suis et filiae natu majori. Accepit etiam vectigal Lobeti sicuti antecessores ejus; erat in possessione Neomagi die 14 Novembris anni 1249. Post hoc tempus Neomagum semper pertinuit ad Gelriam, excepto eo tempore quo discordias exercuit Comes Reinaldus cum Imperatore Rudolpho de castro et oppido, quarum discordiarum judicium anno 1282 dilatum est in quinque annos; Imperatores tamen nunquam aliquid fecerunt ad redimendum Neomagum, sed contra sunt epistolae, quibus beneficia confirmantur ab Imperatoribus. Uxorem Otto duxit Margaretham filiam Diderici Comitis Cliviae, ex qua duae sunt filiae; Elisabetha nempe, nupta Adolpho Comite a Monte (1), et Maria quae nosocomium Arnhemum fundavit (2).

Secunda uxor Ottonis erat Philippa a Dammartin filia Simonis a Dammartin Comitis a Ponthieu et Montraul ex hoc matrimonio nati sunt Comes Reinaldus, qui successit patri, et Philippa quae nupsit Walramo domino Valkenburgii et Monyogen, et Ermgarda, quae uxor fuit Diderici Comitis Cliviae.

Reinaldus hujus nominis Primus successit pa-

(1) Vid Gelen Farr. Tom. I et IV.

(2) Vid. *Archiven van het Gasthuis te Arnhem.*

tri anno 1271. Quum ad imperium perveniebat minor adhuc erat, nam die 30 Aprilis anni 1271 confirmavit libertatem Arnhemi ad vectigalia Lobeti percipienda, consentiente avunculo Henrico Episcopo Leodiensi, Nepote Johanne Electore Ultrajectensi (1) et igitur videtur fuisse in tutela eorum. Nomen Reinaldi est novum in historia Gelriae, neque invenimus certam causam hujus nominis. Res memorabilis regnante eo fuit bellum propter successionem Ducatus Limburgensis, cui finem faciebat pugna, Reinaldo infelix, Woeringana.

Reinaldus uxorem duxerat Ermgardam filiam Walrami Ducis Limburgensis et Juttae, filiae Diderici Clivensis. Post mortem Walrami Reinaldus ei successisse videtur, nam multis locis nomen gerit Ducis Limburgensis; verbi gratia in pacto pacis Richardae Comitissae Juliaci cum urbe Aquisgranensi contractae (2). Sed amplius aliquid est dicendum de bello Reinaldi propter Limburgum. Adolphus Dux a Monte sese jus habere profitebatur in Ducatum Limburgensem, nam erat filius Adolphi fratris Walrami; et hi fratres, post mortem patris Henrici, Ducis Limburgensis et Comes a Monte, diviserunt bona ejus, ita ut Adolphus

(1) Pontanus pag. 154 et 184.

(2) Vid. Kremer Acad. Beitr. Tom. III. pag. 55, 167 seq. et Chron. Colon. fol. 259.

natu major acciperet Comitatum a Monte et Walramus natu minor Ducatum Limburgensem; Walramus et uxor Reinaldi (filia Ducis), Ermgarda obiisse dicuntur sine liberis. Adolphus certe fuit successor proximus; sed Reinaldus sese defendit provocans ad contractum nuptialem et concessionem Imperatoris diei 18 Junii anni 1282, ut haberet usumfructum quamdiu viveret. Adolphus a Monte armis non potuit sese opponere Reinaldo; vendidit igitur jus suum in Limburgum Duci Brabantiae. Omnia conamina ad conciliandos litigantes erant irrita; proelio igitur facto apud Woeringam anno 1288, captivus factus est Reinaldus (1). Durante hoc bello matrimonium iniit cum Margaretha filia Comitis Flandriae Guidonis; die 21 Aprilis 1286 facta fuere sponsalia, et die 3 Julii ejusdem anni matrimonium celebravit.

Reverso e captivitate opus fuit pecunia, quam ei dedit Comes Flandriae, pignus accipiens solutiones Comitatum Gelriae et Zutphaniae per quinque annos ut si non solutae essent hisce quinque annis, posset retinere in reliquum tempus, et si Comes Flandriae moreretur, haeredes ejus fruerentur eodem jure; anno 1309 omnia soluta fuerunt.

(1) Plenior hujus belli descriptio peti potest a v. Spaen *Hist. van Gelderland*, I. 164—312.

Post mortem Rudolphi Imperatoris Habsburgi, die 11 Julii anni 1291, electus est Reinaldus a Gelder. Sed ille dignitatem oblatam non accepit; electus est igitur Adolphus Nassavius die 20 Maji 1292 et coronabatur Aquisgrani die 24 Junii anni ejusdem. Die 21 Januarii anni 1295 declaravit Imperator Adolphus ut si moriretur Reinaldus, filius ejus natu major, ei succederet in omnibus feudis. Adolphus autem occidit anno 1299, et successorem habuit Albertum Austriacum qui tamen tantum septem annos regnavit, nam mortuus est anno 1306; eique successit Henricus hujus nominis Imperator septimus, Comes Lutseburgensis. Ab eo accepit Reinaldus jus canalis fodiendi inter Arnhemum et Neomagum, et etiam imponebatur huic canali vectigal modicum die 19 Septembris anni 1309. Die 17 Martii accepit feudum Velaviae ab Episcopo Guidono Ultrajectensi, quod post hoc tempus non amplius pertinuit ad Brabantiam.

Imperatori Henrico annus 1313 funestus plane et fatalis accidit; tunc enim pani veneno admixto Beneventi, in Italia a Monacho, ut dicunt, Bernardino nefarie sublatus est. Variantibus tunc diu sententiis, ecquis ad imperii culmen promovendus videretur; tandem suffragia divisa fuerunt inter Ludovicum Bavaricum et Fredericum Austriacum, Alberti filium.

Unde exorto civile bello, misere turbata est Germania. Ludovicus, suffragiorum numero victor, coronatus est Aquisgrani; Fredericus Bonae ad Rhenum. Reinaldus amplexus est partes Frederici, qui ei multa promisit si eum vellet comitari Aquisgranum cum mille militibus et ita efficere ut coronaretur. Promisit etiam se confirmaturum omnia jura quae Gelria acceperat ab Imperatoribus Germanis; imprimis pignus Neomagi oppidi, et se eum elaturum ad dignitatem principis haeredesque ejus (1). Haec promissa impleta sunt tres annos post, nam declararet eum Fredericus die 1 Augusti 1317 Principem imperii; et sancitum ut Reinaldus dilectus princeps ejusque, ut supra dictum est, haeredes omnibus juribus principium gaudeant, et utantur in monetis, theloneis et officialium constitutione, prout principi decet et est moris, nec non quibuscunque aliis juribus praebitis principibus et concessis (2), et dicitur etiam in laudata Epistola. »Ita ut ipsi a nostris nostrorumque, in »Imperio successorum sceptigeris manibus dicti »principatus dignitatem cum juribus sibi anexis »per viginti vexillorum solemnitatem et ap»paratum congruum suscipere debeant."

(1) Kremer l c. Tom. III p 124.
(2) Cod Dipl. apud v. Spaen. II. N°. 41.

Principis igitur nomine praefuit Comitatui usque ad annum 1339, quo filius ad regnum venit. Reinaldus noster regnavit usque ad annum 1316, nunc pace nunc bello usus, prouti illud plerumque fiebat tempore illo. Sed versus finem hujus anni ortae sunt primae discordiae inter eum et filium, quae discordiae ea ratione sunt finitae, ut pater captivus custodiretur a filio in arce Halle (in Velavia (1)) consentientibus uxore Margaretha et filiabus Philippa et Isabella. Hoc scelus accedit intra diem 29 Augusti anni 1318, quo pater dedit nonnulla priuilegia Arnhemo, et diem 14 Decembris anni 1318 quo filius confirmavit privilegia Hardervici. Nonnulli hoc accidisse putant anno 1320 sed minus recte, anno enim 1319 Reinaldus filius a Gelder plenum habuit imperium; nam die 10 Novembris hujus anni promisit Comiti Hollandiae se liberaturum patrem suum (2), atque ita Comes mense Novembris anni 1319 traditus est Comitibus Hollandiae et Loden; sed mox poenitentia ducti eum restituerunt filio anno 1320, et tunc captivus custoditus est in arce Montfortii (ad Mosam sitam).

Quamvis Reinaldus filius jam nonnullos annos administraverat partem Gelriae, tamen Prin-

(1) Orig. Cuylenb. pag. 594.

(2) Vid. van Mieris. Tom. II p. 228.

cipatus ejus computandus est ab anno 1320 quo pater venit Montfortium; non autem titulum Comitis gessit vivo patre, sed se nominabat Reinaldum filium a Gelder. Uxorem duxit viri illustris Florentii Bertholde Mechlinensis ejus gentis postremis filiam; idque Adolphi praesertim Marcani Leodiensium antistitis aliorumque amicorum ac procerum suasu consilioque. His igitur potitus nuptiis ope ac reditibus uxoris, qui ingentes erant, confestim quae jam ante oppignorata fuerant castella, vectigalia aliaque comitatuum suorum privilegia praediaque praesenti pecunia, quantum in ipso erat liberare in dies ac redimere curae habuit. Et additam idcirco in sponsalibus Sophiae conditionem haud frustraneam reperio roboratam sigillis cum ipsius Comitis tum et ordinum Gelriae qua cavebatur; »Ne Gelriae haereditas ad alios devol»veretur quam ad natos ex hac Sophia;" hoc jam factum est mense Septembris anni 1319.

Multa beneficia dedit locis campestribus. Curam aggerum mandavit certis hominibus, multaque statuta super aggeribus dedit (1).

Anno 1322, diploma fecit quo se Gelriae Comitis filium ferens, praesentibus atque annuentibus consiliariis suis Valerio Domino Keppelae, Domino Jacobo a Mirlair et Ottone ad Haelt in

---

(1) Vid. Geld. Plac. Boek App. Col. 90, 4, 93, 70.

hibitam atque hoc ipso edicto urbs Arnhemiensi per Scabinos eliminandum in hibendamque statuit usuram versurasque omnes, quae ibidem vulgo exercerentur; quod veteres et in his Tacitus foenebre nominat malum saepiusque atque identidem vetitum Romae refert. Hoc in diplomate Reinaldi Comitis, foenoris non una species modique memorantur, et inter cetera foenus praecipue habitum, si quis pecunia pecuniam mercaretur; ceteraque ejusmodi et quatenus aliquid per hypothecam et pignorationes sumendam permitteretur propius eodem declaratam.

Tandem mortuus est Reinaldus (Pater) in arce Montfortii die 9 Octobris anni 1326; sepultus est Grevendaal; regnavit vel potius nomen Comitis gessit per 56 annos, nam sex annos posteriores non regnavit.

Nunc vidiamus porro de Reinaldo II; quum vivo adhuc patre Comitatus Gelriae et Zutphaniae sex annos jam administrasset, tamen post mortem patris demum Comes factus est et nomen gessit, cognominatus fuit Niger (1).

Anno 1327 privilegia dedit Bomeliae et Thilae et cum eo sigillum imposuerunt mater ejus, uxor et sorores (2).

---

(1) Pontanus citat locum ex Aquilio qui Reinaldum II. Rufum fuisse cognominatum refert.

(2) Est manuscriptum ubi dicitur: » Wy Reinhold Gra-

Nonnulli scriptores dixerunt fuisse eum ditissimum, eumque reveritos fuisse principes qui se cum eo conjungere solebant (1). Sed non credo fuisse adeo divitem, nam eodem anno oppignoravit castellum et regiones Montfortii pro 12000 ponderibus (pondus fere pretium habuit floreni) Comiti Juliaci quae huic debebat et rogavit 40000 pondera ab argentario (2) Johanne a Halen pro quibus civitates (steden) ejus oppignoratae sunt.

Iter fecit cum Imperatore in Italiam, quum ibi erat, Leodienses episcopo suo Adolpho Mercano non contenti, cujus partibus ut pote Reinaldi sanguine juncti Gelria fovebat, sumpta occasione diuturnae Reinaldi absentiae in agrum Gelrum magno cum impetu irruerunt, omniaque quae poterant ferro atque igne de populati sunt. Reinaldus rerum earum in Italia accepto nuncio, postquam omnia reditui parasset,

---

»ve van Gelre — und hebben gebeden unse lieve vrou-»we und Moeder, vrouwe Margriete die olde Grafyne »van Gelre; unser lieven gezellinne vrouwe Sophien »Grafyne van Gelre, Philippa und Isabel Joncfrouwen »van Gelre unse lieve Susteren met uns te segelen, etc. »1327. Dinsdach na Sinte Claesdach des Heiligen Bis-»cops."

(1) Chron. Colon. fol 251. V.

(2) Vox argentarius usurpatur de eo qui antiquiore tempore apud nos dicebatur Tafelhouder hodie Bankier. SENECA dicit Mensularius.

amice ac honorifice vale dixit Caesari. Et per Germaniam secundum Rhenum ad suos devectus receptusque cum omnium gaudio eorumdem, de Leodiensium insolentia, querimonias praesens intellexit. Igitur cohorte militum selectorum instructa adversus eos profectus est, iisque occurrit haud procul Trajecto ad Mosam ad pagum cui Hasselt sive Hoeffelt nomen. Tradunt scriptores, Leodiensium multitudinem Gelris duplo propemodum fuisse majorem.

Stridor hinc ingens ac clangor armorum auditus, tubaeque raucum insonantes, dum tandem, cessante utrimque pugnantium ardore, strages ingens apparuit. Nam alibi vivos magno numero abduci captivos, alibi cadaverum acervos videre erat, audireque lactantium lugentiumque dissonas voces. Propiusque inspecta re intellectum fusis ac fugatis Leodiensibus a parte Gelrorum victoriam stetisse. In memoriam hujus praelii conditum est coenobium Monichusae prope Arnhemum, praemium auxilii Reinaldus feudum accepit ab episcopo Leodiensi civitatem Mechlinam. Scriptores autem Brabantici dicunt eam urbem non fuisse feudum sed pignus pro 12000 ponderibus quae anno 1330 fuerunt soluta (1).

Comitissa Sophia mortua est die 3 Maji an-

(1) Vid. Butkens Trophees de Brab. I. 385, 402.

no 1329 et sepulta in Grevendaal; Reinaldo filium non peperat sed quatuor filias. Post mortem Sophiae novum matrimonium quaesivit; et die 20 Octobris anni 1331 ei desponsa est Eleonora soror regis Angliae Eduardi III. Die 8 Mense Maji anni 1332 Eleonora venit Slusam in Flandria) et nuptiae magna cum pompa locum habuerunt Neomagi (1). Antequam uxorem duxerat Eleonoram, se conjunxerat cum rege Franciae contra Ducem Brabantiae; sed matrimonium cum sorore regis Angliae, mutavit consilia ejus, et sese partibus Anglicis addixit.

Die 13 Maji anni 1333 Eleonora genuit Reinaldum (2) qui patri deinde successit.

Jam diu Thiela pertinuerat ad Duces Brabantiae; exeunte bello Reinaldum Primum inter ac Ducem Brabantiae, die 10 Septembris anni 1339 hic concessit ei Thielam, quae urbs postea, semper pertinuit ad Gelriam.

Bellum gessit in Anglia cum Eduardo contra Scotos et secum habuit nonnullas copias Gelricas; a Scotis captivus factus est, mox libertatem recepit et rediit in Gelriam. — Postea Eduardus venit in hasce regiones et con-

---

(1) Vid. Rymer Act. Publ. Tom. III. p. 3, 70, 71, 74, 75, 76. et van Mieris II. p. 537. et Wihl. p. 718.

(2) Vid. Butkens l. c. p. 405. Mappius Ann. Juliae p. 64. et Leibnitz Cod. Jur. Gent. I. 139.

junctis sibi multis principibus, bellum gessit contra regem Francorum; sed ad propositum nostrum non facit ut de hocce bello exponamus. Quae de regno Reinaldi adhuc narranda supersunt, trademus Capite sequenti, quia anno 1339 Dux factus est, et quia hocce Capite tantum agitur de Comitibus Gelriae, insequenti vero de Ducibus hujus regionis dicemus.

CAPUT SECUNDUM.

DE DUCIBUS GELRIAE.

In priore Capite egimus de Comitibus Gelriae, et sic etiam de regimine (1) Reinaldi titulo Comitis, sive ab anno 1326 usque ad annum 1339. In hoc Capite agemus de Ducibus Gelriae et initium faciemus a Reinaldo.

Anno nempe 1339 die 19 Martii Reinaldus Dux factus est et Gelria nomen Ducatus accepit (Pater ejus jam acceperat nomen Ducis, sed Gelriae manserat Comitatus) ab imperatore Ludovico Bavaro, Praesente Eduardo qui hoc tempore erat Francofurti (2). Ut hoc fieri pos-

(1) De Ducatu etiam dicitur *regnum.* Hac de re vid. G. van Hasselt in op. het Hertog-Ryk van den Hertog van Gelre en zijn Troon, Schepter, en zijn Kroon.

(2) Nonnulli scriptores Anglici dicunt, Reinaldum, Ducem factum esse ab Eduardo titulo Vicarii Imperii, inter quos etiam *Rapin Troyras* III. 174. Sed minus recte nam epistola authentica exstat, et copia ejus est apud van Spaen II. *Cod. Dipl.* 42. in qua etiam nominantur alia beneficia. Praeter alia accepit munera, Drossardi, Marescalli, Camerarii et Pincernae,

set consensus opus erat Electorum (Keurvorsten) Saxoniae, Brandenburgi, Comitis Palatini Rheni (Paltsgraaf), Electoris Bohemiae, Treviriensis et Moguntiensis (1). Hoc exemplum secutum est Imperator Carolus IV, et Duces fecit Comites Lustenburgi, Bari et Juliaci (Gulick) et Imperatores sequentes saepe hoc fecerunt (2).

Gelriae conditio hac re magnopere fuit emendata, nam quum Comites erant nulla fere honoris distinctio inter eos et dominos liberos fuerat; nunc vero honore iis praestabant. Diximus in priore Capite quare Comites Gelriae semper nomen adsumserint Comitis Zutphaniae; sed huic objici potest, Guilielmum Juliaci feudum accepissit tum Zutphaniam tum Gelriam anno 1372 et 1377 (3). Sed hujus rei fortasse causa fuit lis de successione, cum sororo natu majore matris, Mechtildae a Gelder, Comitissae a Blois, qua occasione Zutphaniam tanquam feudum accipere, quam illam regionem omni cum jure tanquam bonum hereditarium Mechtildae concedere, maluit.

Praeter Ducatum accepit ab Imperatore Ludovico pignoris jure Frisiam Orientalem. Idem quoque ei jus concessit Judaeos ex sua ditio-

(1) Consensus horum apud van Spaen II. Cod Dipl. 43.

(2) Putter Hist. der Deut. Staatsverf. Tom. I. pag 266.

(3) Brosius Ann. Juliae pag. 86 et 90.

ne arcendi (1). Initu anni 1340 bellum gessit cum Eduardo rege Angliae contra Francos et postea Reinaldus factis induciis, domum rediit.

Non constat utrum in castris an vero in Ducatu ipso, domo sua signaverit eas literas, quae in Archivis ad manus sunt, quibus Batavadurum (nunc Wyck bij Duurstede) Suedero Abcoudae Domino cum iis quae ad hunc urbem pertinebant feudi nomine ac Jure Zutphanico, in pespetuum possidendum obsignavit. Hinc Suederum Reînaldus etiam immunem fecit. Vectigali Lobedensi solvendo.

Anno 1343 a Pontifice Benedicto XII Episcopus Ultrajectensis electus est Nicolaus Caputius, qui initio regni liberavit hoc aere dioecesin Arculeiam, efficiente ut nonnulli dicunt summam 60000 Gelrorum, quos vocant, equites.

Anno sequente mortuus est Reinaldus, relinquens duos filios Reinaldum et Eduardum et unam filiam Mariam. Uxor ejus Eleonora ei superstes fuit, habuitque tanquam legatum ab eo reditum Velaviae (2).

Successor Reinaldi II fuit filius ejus natu major Reinaldus III. Natus est anno 1330 et successit patri anno 1343. Minor quum adhuc esset, mater ejus et Johannes Valkenburgii Do-

(1) Vid. van Hasselt Geld. Oudh. pag. 526. et seqq.

(2) Vid. Is. An. Nyhoff Gedenkwaardigheden uit de Geschieden. van Gelderl. I. D. p. 266.

minus Bornae et Sittardi regnum ejus sibi acquirere conati sunt; his adversati alii, quorum praecipuus Comes Meursensis.

Civitates quum viderent magna Reinaldi II debita se conjunxerunt anno 1343. Harum praecipue loco civitatum memorantur Neomagum, Ruremunda, Zutphania, Arnhemum, et deinde Gelra, Embrica, Thiela, Zalt-Bommelia, Hardervicum, Duisburgum, Gocha, Deutecomium, Lochemium, Venloa, Neostadium, Genta, Maesbommelia, Wageninga, Elburgum, Hattemium, Erkelenum et Echta. Quarum urbium conjunctio primam originem praebuisse videtur Comitiorum (Landstenden vulgo dictorum) (1).

Anno 1344 Neomagenses cum Duce Reinaldo agere coeperunt de immunitatibus privilegiisque urbis suae. Quae omnia Rainaldo bona fide ac vi sacramenti, Scabinis, Senatoribus omnibusque oppidi ejus, civibus praestiti; sancte pollicitus est; factis insuper ea de re tabulis, eaque mox sub festum Pentecostes eorum ipsis sacramento ac syngrapho suo firmaturum, et addito litteris majore suo sigillo renovaturum eo modo, quo jam ante eadem suis litteris minore sigillo obsignatis stabilita approbataque iisdem concessisset. Hocce anno diem supremum obiisse reperio Adolphum Marcanum Leodiensem antis-

(1) Vid. Archivae Elburgi.

titem; Reinaldo consanguineum ac fidem valdeque carum ejusdem parenti Reinaldo II, cui re consilioque in rebus difficillimis saepe numero adfuerat, et illi vicissim Reinaldus dux. Vir fuit summa in aliis rebus sapientia ac moderatione praeditus ad arma tamen haud semel impulsus sed ut plurimum invitus. Ei postremum Dionantenses negotium facessere coeperant, trudidatis e familia ipsius viris quatuor nobilitate claris. Quam rem adeo aegre tulit, ut inde haud multo post contracta corporis animique aegritudine mortuus fuerit.

Anno 1346 Reinaldus una cum Eduardo gravissimum bellum gessit contra Francos; victor fuit Eduardus in proelio prope Cressiacum, in quo mortui sunt 30000 Milites, 11 Principes, 80 Domini et 12 Equites.

Reinaldo interea in castris et apud regem avunculum amitamque Philippum reginam, eodem a rege evocatam, cum milite suo et procerum praecipuis agitante, haud exiguis impensis damnisque affecta domi Gelria, dum capite et rectoribus suis destituta respublica fluctuat. Nam et partes Hekeranas Bronchortianasque, hoc circiter tempore, natas fuisse, domestica acta haud obscure innuunt; quae in apertum postmodum erumpentes maximis has oras ruinis ac difficultatibus involverunt; his Eduardum fratrem juniorem, illis majorem natu

Reinaldum sibi sequendum tuendumque adsciscentibus.

Anno 1347 adfuit bello, a Johanne Duce Brabantiae, (socere suo futuro) gesto contra Leodienses: et in praelio apud Walef die 21 Julii anni 1347 creatus est eques (1).

Puer, jam desponsatus est a patre, filiae natu minori Johannis Ducis Brabantiae. Sed non placuit matri, nam jussu hujus nonnulli adiverunt Guilielmum Comitem Hollandiae, hujus nominis IV, qui conditiones conjugii paciscerentur inter sororem ejus Isabellam et Reinaldum Ducem. Contractus Nuptialis signatus est die 9 Novembris anni 1344 Medioburgi in quo contractus dicebatur, si Reinaldus moriretur antequam nuptias inire posset cum Isabella, hancce nupturam fratri ejus Eduardo. Sed non videtur hoc matrimonium contractum fuisse inter eam et Reinaldum, nam postea Isabella nupta est Roberto Comite Flandriae, Namurci et Domino a Beaufort (2). Reinaldus vero mense Junio anno 1347 matrimonium iniit cum Maria Brabantiae in urbe Antverpiae (3); quod non impedivit quo minus fidelis maneret Anglis contra Francos (4).

(1) Vid. Butkens Trophees de Brab. Tom. I. p. 436.

(2) Vid. Butkens l. c. p. 444.

(3) Vid. Butkens l. c. p. 436

(4) Vid. Rymer l. c. p. 21, 44, 133

Annus 1348 in historia notatus est propter terribilem pestem in Europa et praecipue in Hispania. Hocce etiam anno Reinaldus cum fratre Eduardo bellum indixit Episcopo Ultrajectensi; hocce bellum sequenti tamen anno 1349 prorsus cessatum amiceque compositum reperio. Incidit in idem tempus memorabilis ille terrae motus, qui non modo Italiae et Panoniae aliquot civitates ita concussit ut aedificia passim corruerint, sed et Germaniam inferiorem attingens, inter caetera Juliacum Gelriae vicinum oppidum, funditus subvertit.

Sequitur annus 1350, turbis ac seditionibus valde foecundus; nam hoc tempore audita infausta Hekerorum et Bronchorstiorum apud Gelros; apud Hollandos Hockiorum et Cabbeljaviorum vocabula; Frisiorum quoque vicina gens paulo ante in partes abierat, nomine Vetcoperorum, et Sciringorum. Nec desierant adhuc intra Italiam Guelphorum et Gibellinorum factiosa nomina.

Hekerana vero in Gelris factioque Bronchorstiana a nobilibus, odio inter se Vatiniano dissidentibus sic appellata. Reinaldus, cum Hekeranos identidem eveheret sibique curae haberet, id urere Bronchorstianos videbatur, qui apud Eduardum Reinaldi Ducis fratrem ipsis faventem, hoc saepius iterum vellicant, instigare inimicitias non desinebant.

Unde apertae tandem factiones enatae, quarum haec, contempto Reinaldo Duce, Eduardum dominum suum agnovit; illa vero Hekerana dicta, quem lex et natura, utpote natu majorem principatui praefecerat, Reinaldum, sibi agnoscendum et ei ut Duci dominoque adhaerendum judicavit. Quamvis nec id quod tradunt quidem obesse veritati videatur, dissidii primam occasionem inde ortam, quod sibi in rerum ac ditionum divisione minus satisfactum Eduardus quereretur.

Quanta praesertim Gelriae populus ex hoc dissidio perpessus damna fuerit, quantasque clades ac calamitates subierit, indicabant passim atque oculis ingerebant, vastatae desertaeque villae, municipia ac civitates. Inter cetera eo tempore mense Augusto, ingressi Thielam; Walramus, Bornae et Valkenburgi dominus, Dominus iter Asperae et Johannes ab Arckel, qui Reinaldo Duci studebant, turrim aedis divae Walburgis una cum centum et quadraginta qui in eam confugerunt hominibus igne injecto exusserunt. Unde et civium hinc inde conflictus animadversi, perpetrata utrimque homicidia, suspendia, submersiones, aliaque audita mortis mala. Toto autem anni 1355 curriculo saeviit mirum in modum per Gelriae omnes tractus coepta Reinaldi Eduardique Ducum factio.

Nam plurimi intra Velaviam commorantes, quos a censu ac tributo aliisqus oneribus sibi debitis, Reinaldus liberos pronuntiaverat, cum ejus essent partes secuti, mox Velaviam pervasere, seque in ditionem Arnhemiensem effundentes, dum ibi ferro atque igne grassabantur, ingentia passim agrestium nobiliumque praediis intulere detrimenta. Ope etiam Johannis Comitis Cliviae adjutus se viribus Eduardo haud inferiorem demonstravit; et praeter caetera, vi sibi subjecit, ac manibus alterius partes extorsit valida illa oppida, Rhenique et Isalae ac Mosae claustra, Arnhemum, Duisburgum, Venloam, Thielam, Emmericam, Lobedam aliaque. Hocce etiam anno mortua est Eleonora, uxor Reinaldi II et Sepulta Daventriae.

Anno 1358 interponentibus se urbibus primariis Neomago, Ruremunda, Zutphania, Arnhemoque, adjuvante etiam ecclesiae Monasteriensis electo Adolpho; ac designatis ad eandem compositionem Dynastis Johanne Moersensi, et Arnoldo ab Arckel equitibus, praeter Scabinos cujusque civitatis binis, per vim compromissi ad pacem redierunt, sive induciae potius illae fuerunt; nam annum vix integrum durantes, cum ruptae mox essent, prior illa rerum facies; id est caedes, fuga, aliaque hostilia rediere, nec finem habuere nisi Reinal-

do postremum capto, ac carceri, ut infra dicemus mancipato, cum latrociniorum satietas esset, collecti milites ac justus utrimque comparatus exercitus est. Reinaldus, cui Hekerani favebant validis cum copiis Thielam concessit. Quod Eduardus qui tum Neomagi agebat animadvertens gnarus maximum suae causae incommodatum illaturos, si in potestatem Reinaldi Thielenses devenirent instructo cum exercitu eisdem quam celerrime auxilio accurrit omniaque egit ut fratrem ab obsidione retraheret. Nec mora, descensum in aciem haud procul Thiela procliumque commissum die 25 Maji anni 1361. Sed victoria a partibus Eduardi stetit captusque est Reinaldus Dux, aetatis 28, regni sui decimo octavo.

In custodiendo autem fratre Reinaldo, qua fuit usus solertia, et addam etiam humanitate, nunc paucis aperiendum. Nam duas praecipue ex arcibus suae ditionis delegit, in quibus eum conclusum detineret Rosendalium et Nienbecam. Post mortem fratris Eduardi e carcere liberatus est anno 1371; sed non diu huic superstes fuit, nam mortuus est eodem anno, die 2 Decembris. Reinaldus igitur, cum jam, ut dictum, fratris captivus esset adeo fuisse obesus corporeque crasso dicitur, ut hominum prope duorum, obesi corporis tumore modum ac mensuram excederet. Fuit ultimus ex familia Co-

mitum et Ducum Gelriae; depulsus est 's Gravendaal.

Nunc aliquid dicendum de regimine fratris ejus Eduardi hujus nominis Primi. Eduardus filius natu minor Ducis Reinaldi II natus est anno 1336. Postquam anno 1361 fratrem Thielae in vincula conjecerat imperio potitus est. Exstat adhuc epistola qua duo fratres confirmarunt, die 9 Junii 1361 privilegia Thielae; et propter singularem formam, initium, hoc in loco ponemus, hujus epistolae. » Wy Reinhold » van Gelre en Eduard, van Gods genade Her» tog van Gelre ende Grave van Zutphen caet." (1) Desponsa ei fuit Catharina filia Alberti Ducis Bavariae et Praefecti (Ruwaard) Hollandiae. Anno 1371 Eduardus in Hollandium ad perficiendum matrimonium profectus nuncium accepit, Wenceslaum Ducem Brabantiae, aggressum fuisse Gulielmum Juliacensem affinem suum. Statim igitur adversus hunc profectus est; et opportune in praelium apud Basweyler venit. Victoriam quae jam ad Brabantos sese convertebat, adventu suo, ita mutavit, ut Guilielmus victor discederet, et ipse Wenceslaus caperetur. Attamen hoc praelium die 24 Augusti anni 1371. Eduardo fuit fatale, quia secundum nonnullos in eo mortuus est. Alii vero dicunt eum ab

(1) Arnhem Bock Landz. Tom. I. fol. I.

Hermanno Bier van Heze, cujus uxorem stupraverat, esse occisum (1). Catharina Bavariae sponsa Eduardi, postea consentiente Pontifice, matrimonium iniit cum Guilielmo sororis filii et Reinaldi Eduardique successore.

Wenceslaus igitur Brabantiae Dux, Guilielmi Juliaci Ducis, totque bellatorum victor ac triumphator a Duce tamen Eduardo ejusque exercitu, ut memoratum, subito, et antequam se colligere potuerat, oppressus ac victus, cum esset in captivitatem Neomagum abductus acta omnia, ut vinculis quam citissime exsolveretur. Factiones, quae conticuisse aliquamdiu, et jam quasi sopitae domi putabantur, resumere passim vires, atque exaudiri coeperunt. Bronchorstii qui Eduardi partes initio foverant, Guilielmum Juliaci, Reinaldi atque Eduardi Ducum sorore nepotem, agentem jam annum circiter septimum, fidem atque obsequium pollicendo, dominum atque Ducem suum proclamandum, declararunt: tutore constituto, dum ipse adhuc minor esset, patre ejus Guilielmo Juliacensi; sed Hekerani, alio respectantes, Mechtildam, sororem quidem sed non germanam Reinaldi et Eduardi (nam Mechtilda erat ex uxore prima Reinaldi II, Sophia a Berthout Domina Mech-

---

(1) Inter hos etiam Pontanus pag. 291. et Butkens l. c. p. 489.

liniensi; et Reinaldi et Eduardi ac Maria ex uxore secunda Eleonora Angliae) Ducatui Gelriae ac Comitatui Zutphaniae Ducem potius constituendam censuere. Ili etiam ut fortior redderetur ei persuaserunt, ut tertias nuptias iniret cum Johanne Castellioneo Comiti Blesensi.

Sed haec dum illi secum statuunt disponuntque, advenit Aquisgranum Imperator. Et licet animo in Juliacensem commoto accederet; quem et proscribere, ac tota in ipsum concitatà Germaniâ, veluti in praedam dare ob captum in bello Brabantino, de quo dictum Wenceslaum fratrem, secum constituerat, usus tamen consilio Archiepiscopi Coloniensis ac Leodiensis et aliorum, Aquisgranum ad se evocari Juliacensem curavit, missis ad eum Alberto Ottoneque Ducibus; nec mora, accessit Juliacensis, adducto secum ac libertati restituto Wenceslao. Hinc extemplo pax eodem illo conventu formata, inter Ducem Wenceslaum ac Juliacensem, captivique omnes qui cum detinentibus nondum pepigerant sine pretio dimissi. Tum etiam inter Caesarem ac Juliacensem de successione in Gelriae Ducatum, ita actum, ut literae quam primum Caesaris evulgatae sint, quibus ille regimen Gelriae moribus competere ignarus, Ducis Juliacensis, Guilielmi senioris filium, Guilielmum verum ac proximum suc-

cessorem heredemque declarat (1). Quibus in literis, quod ex antiquo Gelriae principatum, Guilielmo debitum, se attribuisse atque infeudasse Imperator memoret, de eo accipiendum Diplomate videtur, quod Neomagensibus quadriennio circiter ante Aquisgrano transmissum in membranis exaratum in manibus est; quo declarat, se Gelriae Ducatu ac Comitatu Zutphaniae solum Guilielmum Juliacensem, Guilielmi filiorum natu majorem, nec alium ornandum capere.

Interea non omiserunt quod agere coeperant Hekerani, Duceque Comite Blesensi oppida Arnhemum, Cranenburgum, Lobedaeque telonium suae fecerunt potestatis. Sed non diu post, Arnhemum feliciter e manibus, Hekeranorum eripuit. Ac mox sub festum Divi Jacobi, Goswinus de Waderick, praetexens causam Lossensis Comitis, Thielam cepit.

Quo cum advenisset una cum praesule Trajectensi, Arnoldo Hornano, Mechtilda Blesensis, et aliquot dies ibi epulando ac choreas ducendo jucunde simul traducerent, Neomago ex inopinato accurrit Dux Juliacensis ac urbem noctu conscendens eam Hekeranis extorsit. Multi erant captivi, episcopus ipse fugam capessens vix e manibus evasisset, nisi Thiela

(1) Epistola apud Pontanum.

quam citissime elapsus in domum, quae ei propinqua est, telonii dictam, se recepisset, atque ibi eo usque substitisset, donec accurrente e dioecesi Trajectensium majore manu liberaretur. Dux vero Guilielmus. assumptis secum captivorum praecipuis Neomagum regressus est.

Recepto autem ut memoratum Arnhemo, cum jam ab Imperatore, Guilielmus pater, filio esset tutor declaratus, urbi Arnhemiensi ut et Wageningae et Vedichemensibus indemnitatem amplis dixit verbis.

Nec omisit eodem tempore Dux Bavariae Albertus, Hollandiae Comes, Gelris majorem in modum commendare juniorem Juliaci principem, Guilielmi Ducis filium, Guilielmum item nomine, additis rationibus, quod nimirum cum eo de connubio inter filiam suam et ipsum convenisset; et Neomagenses aliaeque aliquot Gelriae urbes, ut et ordo Equestris ipsi jam dudum sacramentum dixissent; et fas quoque atque aequum efflagitaret, ut Gelrici Ducatus successio, modo haberi id posset, haud quaquam in sexum sequiorem, sed principem virum transferretur.

Anno 1372 et 1373 bellum etiam gessit Guilielmus, contra Episcopum Trajectensium; ille etiam bellum gessit contra Hollandos; sed pax tandem facta est anno 1374 inter Episcopum et Alber-

tum; et tum simul statutum, ut Vredelandiam quam sibi, ut dictum, pignori servabat Hollandiae Comes Albertus, soluto pretio Ultrajectini redimerent. Hoc tempore Episcopus non multum auxilium praebuit Comiti Blesensi, omniaque sibi integra Guilielmus Juliacus retinuit, nisi quod Brederodii dominus Thielam receperit. Eamque receptam fortissime defenderit, additis propugnaculis, et aggere qui est infra Zandvicum Thielae ejusdem suburbium perfosso. Exortaque mox Rheni et Vahalis ingens inundatio, plurima eidem urbi, locisque vicinis detrimenta intulit. Nam et agger idem vi aquarum in totum propemodum dirutus, et porta urbis cum parte muri eversa, ferventibus undis funditus destructa corruerunt.

Comes Blesii postquam minus ad vota cedere cuncta videret, et esset amissum nunc insuper Arnhemum, totque impensae sine usu et opera factae belli demum aleam tradidisse aliis; et in his Mechtildae praesertim conjugi suae, praesulique Trajectensium Arnoldo Hornano, seque Schoonhoviam recepisse dicitur.

Adoleverat hoc tempore et ad puberes propemodum annos pervenerat Guilielmus Juliacensis, ut pote annum jam decimum quartum ingressus. Unde Albertus Bavarus Hollandiae Comes, quum ei jam ante, annuente ac vinculum cognationis solvente summo Pontifice,

addixerat filiam Catharinam, Eduardi Ducis relictam sponsam, de qua superius diximus, conjugem ipsi tradidit, dotem accepit tria ac triginta moutonum (1) millia. Conditiones omnes et leges matrimonii hoc loco enarrare longum sit (2).

Invenio eodem circiter tempore evulgatos Caesaris Codicillis Juliaci datos quibus investitur Dux Juliacensis Guilielmus, Mariae filius toto Gelriae Ducatu ac Zutphaniae Comitatu; licet Caesarea auctoritate Gelriae Ducatus ut et Comitatus Zutphaniae, Guilielmo jam esset adjudicatus, et ipse publicis ejusdem literis atque infeudatione, ut vocant, solenni ditionum earumdem princeps declaratus.

Haud tamen cessabant intestini hinc inde motus. Thielae praesertim tantis inter se odiis flagrabant cives, ut ipso Paschatis festo anni 1378 concurrentes caedem ingentem fecerint; et occubuisse tumultuario tum conflictu perplures invenio, et inter caeteros Godefredum ab Arckel et Brunonem de Honswyk, Herman-

(1) Moutones erant genus pecuniae Brabantiae, signabantur Vilvordiae, seculo XIV regnante Johanne III Duce Brabantiae, (qui regnabat ab anno 1312 usque ad annum 1355). Dividebantur in aureos et argenteos; hi subdividebantur in simplices et duplices. Pondus moutonum aureorum Duplicum erat, ut dicitur, 4 Eng. et 12 Asen.

(2) Conditiones Nuptiales habentur apud Pontanum pag. 314.

num praeterea de Eyll; Lucas de Empel, Theodoricus Mulctenter et Rutgerus Boetzelarius, una cum Clivensium Comite Adolpho aliisque Neomagenses in cursionibus suis assiduis infestare non desinebant.

Anno 1379 Dux Juliaci deposuit tutelam filii, qui non diu post matrimonium iniit. Unde parens, bellicis quoque artibus assuefaciendum filium ratus, eum in militiam secum assumsit. Et primum adfuit obsidioni castri et oppidi Genepensis, quod mox fuit in potestatem ejus redactum; victorque Gulielmus filium sibi cognominem bono omine faustoque tantae victoriae auspicio, militem solemniter creat baltheoque cingit.

Dux usus opera consilioque patris, Thielam aggressus suae potestatis fecit, ac mox ab omnibus, quos ibi inimicos antea expertus fuerat, obsequii ac fidelitatis sacramentum accepit. Estque deinde Gelriae passim Dux ac Comes Zutphaniae solenni ritu a cunctis proclamatus ac salutatus. Inde idem, pacta pace, ac late ditionum suarum territoriis perlustratis, nulli se partium addixit, sed omnes omnino aequaliter habuit ac honoravit, demonstrans se principem justum, pium ac mansuetum futurum omnibus; quare mirum in modum subditorum animos cum inter se, tum sibi conciliavit.

Initio anni sequentis qui fuit 1380 mortua est Mechtilda.

Anno 1383, redigendis in corpus unum Gelriae distractis partibus Dux Gulielmum proceresque omnes moverant lapidem, monstrantibus hoc ipsum quoque Imperatoris Wenceslai brevibus codicillis, quibus, Guilielmum Ducem principatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae investit ornatque. Ipse autem Dux Guilielmus, dum ea domi peraguntur, varias instituit in oras exteras peregrinationes. Nam juvenis adhuc ac rerum praeclare gerendarum avidus, tum ut patriam militarium hominum multitudine ac onere liberaret, spontaneas militias, et primum omnium in Livoniam Borussosque profectus suscepit. Hic adversus eos populos qui aegre admodum ad fidem Christianam adduci poterant, pia arma cum ordinis Teutonici fratribus (1), quorum id munus erat, induit, nec nisi parta insigni nominis celebritate domum rediit. Incidit in annum sequentem Wenceslai

(1) Teutonicorum ordo initium habuit prope Ptolemaidem, imperante Henrico VI, circa annum Christi 1190, auctoribus civibus aliquot urbium Braemae et Lubecensis, qui haud exiguis sumptibus aedificarunt atque instruxerunt ibi Xenodochium in usum eorum qui ordini insererentur. Nec tantum in Oriente sed majore etiam cum successu in septentrionalibus Europae plagis Christianam religionem propagavit armisque vindicavit ordo.

Brabantiae Ducis, qui patruus erat Wenceslai Imperatoris, obitus cum exinde conjux ejus Johanna nullis ex ipso liberis natis, res moderari coepisset; excursiones in oras Gelriae instituere aggressi facinorosi aliquot ac temeritatis extremae viri, hinc excessum principis sui Wenceslai inde absentiam Guilielmi Gelriae Ducis intuentes. Hi Mosam transgressi pagum quemdam, Vermeren dictum parochiae Vichensis in ditione situm Neomagensi, invadunt, ac ibidem, incensis aedibus, hospitem earum captivum secum trans flumen abducunt, atque ex arbore suspendunt. Quod cum Duci apud Borussos adhuc commorato citis nunciis esset significatum, eum haud leviter commovit, affirmavitque non eam solum resticanam domum sed capitis sui capillos per illos sicarios se adustos existimare; capereque idcirco hospitem aedium innocenter trucidatum, ut et ceteros suae fidei a Deo altissimo concreditos, adversus vim omnem defendere ac tutari ac eam praesertim injuriam extremis viribus vindicare; nisi per principem proceresque Brabantiae, sumto de dictis maleficis digno supplicio sibi satis factum fuerit. Hanc igitur ob causam reditum festinavit.

Anno sequenti Guilielmus bellum declaravit Johannae Ducissae Brabantiae. Scriptores Brabantiae adferunt causas belli fuisse natas e

veteri controversia de oppido Graviae et ditione Cucae tum et Castellis Gangelli, Millae ac Vuchti; quod si verum est origo jam repetenda est ab anno 1323 (1).

At Johanna hunc in finem misit Sylvam Ducis Johannem Withemi Dynastam cum valido praesidio, quod ei maxime timeret ob Graviam propinquam, Mosae civitatem, quam Guilielmus dux genero suo Johanne filio Wemari ex filia ut dictum spuria praesidio firmissimo custodiri permiserat. Atque ita Brabantis Sylva Ducis, Gelris Graviâ excurrentibus, interfectus ager misere affligebatur. Ceterum Brabanti Graviam sibi ereptam frementes mense Septembri anni 1386 magni belli apparatu, oppidum cinxerunt, miserant urbes singulae in eum expeditionem suorum praestantissimos. Quibus multitudinem incitantibus saepius fortiter oppugnatum oppidum, multo fortius defendebatur. Qua propter Brabanti revocata mox obsidione, in castris deinceps quievere, fame ad deditionem evinci oppidanos posse existimantes. At Dux Guilielmus hoc veritus socerum suum Albertum Bavarum, Hollandiae Comitem, per literas sollicitat, ut pacem inter se ac Ducis jam Brabantiae Johannam componeret; quod officii

(1) Historiam hujus rei vid, apud Pontanum ad annum 1323.

haud quaquam detrectandum Albertus ratus Sylvam Ducis ad Johannam iter instituit.

Atque inde ad Guilielmum generum suum properans rem in hunc propemodo modum composuit; ut Gravia Brabantis reddita, captivi utrimque dimitterentur, conflictus, incendia, praedationes, utrimque cessarent; damna illata sua quisque vice ferret. Sed pace ea vixdum facta, occupat iterum Graviam Guilielmus. Gravissime hoc factum Brabantiae Ducissa ceterique intulere. Johanna semel iterumque Albertum Bavarum pacti foederis commone fecerat. Ad pacem sanciendam primo concurrunt Camerarum, deinde Antverpiam tertio Gertrudenbergam ubi nuncii Guilielmi non veniebant. Hinc denuo eadem de causa Sylvae Ducis congressus habitus cui interfuere non regis modo Galliarum ac Ducum Burgundiae Brabantiaeque, sed et Ducis Gelriae consiliarii. Ubi in se postquam suscepisset Albertus Bavarus generum ad pacem ac saniora consilia cohortari, id frigidius exsecutus memoratur. Ac mox, decedentibus delegatis, pace neglecta, bellum utrimque renovatum est. Johanna ex universa Brabantia non mediocri coacto exercitu (1), Gelrorum agros praedari, Graviamque aliquo-

(1) Sleydanus tradit quadraginta millia pugnatorum fuisse.

ties', sed frustra, oppugnatam arcte obsidere instituit, aedificato in flumine Mosa prope Ravensteinium ponte, ne ab ea parte juvari commeatu aut aliis instrui novis subsidiis oppidani possent. Sed opere nondum perfecto, praesidiarii Guilielmi Ducis, obscura nocte oppido egressi opus igne corrumpunt. Contra Brabantia Ravensteinae praefecto haud procul Gravia ad Mosam agente, petant ut, traductis per eum qui ibi erat pontem Decem Brabantorum millibus Graviam cis ac trans Mosam premere liceat. Qui dum re impetrata, castrorum vigilias trans Mosam securius obeunt; Dux Guilielmus cum equitatu celeriter subveniens, armatosque et inermes invadens, occisis ac in Mosa submersis circiter 4000, ceteros in fugam egit. Guilielmus Neomagum reversus captivorum spolia divae Virgini dedicavit; acta haec Augusto mense anni 1388. Hinc cum copiis suis domum regresso Duce, novus apud Brabantos militum delectus habitus, conscriptique equitum mille ducenti, sagittariorum vero quatuor millia. Burgundiae Dux Philippus Audax, cum rege Francorum Carolo Nepote suo, habita de rei summa deliberatione, etiam ipsum regem eo permovit ut Gelricam expeditionem una secum praesens susciperet; nec mora, nam conscripta extemplo armatorum quadraginta millia. Guilielmus Juliacensis videns periculum, pactum

facere cupiebat inter Carolum regem Galliae, et filium suum Gelriae Ducem, utque foedus cum rege Angliae rescinderetur; quae Guilielmo non placuerunt. Tandem ei minatus est Dux Juliae se eum exheredaturum; et filium minorem natu Reinaldum declaraturum Ducem Juliae; atque inde aucto metu, cum patre praesulibusque in castra regia profectus est Guilielmus Dux. Ibique genibus Regi flexis, renuntiato, inter cetera, Anglico foedere, veniam pacemque supplex impetravit; Philippo praesertim Audaci intercedente.

Cum Brabantis vero pax hunc in modum facta; ut haberet servaretque unusquisque quod obtinuerat; summum in Graviae oppidum, Brabanto imperium maneret; possessorque se ejus beneficii memorem futurum, praestito juramento profiteretur; captivique utrimque gratis dimitterentur; belli utraque pars sumptus suos ferret; mense Octobri quisque ad sua se recepit. Postea quum iterum Guilielmus Dux adierat Borussiam, ad bellum gerendum contra infideles, per insidias captus est a quodam, Pomerani Ducis Vartislai, cliente Eggerdo a Demewoldo, detentusque in arce Valkenburgensi, per semestre propemodum; dimissus tamen haud multo post, facta promissione se nihil adversus Poloniae regem ac Duces Pomeraniae clam vel palam moliturum. Anno 1389, praeter ce-

tera, cordi curaeque habuit, ut per delegatos, flagitantibus hoc ipsum quoque Brabantis, de pace, cujus superius cum Ducissa Johanna pactae meminimus, ageretur eamque signatam codicillis, ratam utrique firmamque faverent.

Die 13 Decembris anni 1393 mortuus est Dux Juliacensis, Pater Guilielmi Ducis Gelriae, qui tunc etiam accepit Juliae ditionem. Sequente anno mense Aprilis mortuus est Episcopus Trajectensis Florentius Vevelichovius.

Die 18 post mortem ejus, Dux Gelriae Juliacique Guilielmus, ut et Albertus Bavarus Hollandiae Comes, Trajectum profecti ad novum eligendum Antistitem, seorsim declararunt, quem eligendum putabant; Albertus nominavit Rogerium Bronchorstium, qui tunc erat Thesaurarius Episcopi Coloniensis; at Guilielmus nepotem suum Fredericum Blankenhemium, Praesulem Argentinensem; major pars fecit cum Guilielmo Duce Gelriae. Pontifex Bonifacius consideratis singulorum suffragiis, confirmavit Fredericum, qui etiam Ultrajecti inauguratus est,

Interjecto hinc tempore, cum annus ageretur 1395, exorta lis inter Ducem Guilielmum et episcopum Coloniensem Fredericum. Habebat Guilielmus exercitum satis magnum; stabantque in procinctu equites cataphracti ducenti, ac peditum sex millia, quibus invadere

dioecesin Coloniensem, jungente socia arma Oosterbantiae Comite, conjugis ejus fratre, Guilielmo, aliisque viris nobilibus, cum instructissimo equitatu, peditum manipulis aliquot accedentibus, constituerat; jamque Stralam pervenerant, illaturi episcopi ac toti Dioecesi bellum; cum pacem amplecti praesul seque legibus aequis submittere significat. Causam huic liti praebuerat Tolbiacum (vulgo 't Zulp); cujus jurisdictio et praefectura ad se pertinere contendebat Guilielmus Dux. Factum postremo inter utrasque pactum eum in modum, ut praefecturam Tolbiacensem, una cum arce, burgo atque oppido nec non eodem pertinentibus territoriis, praefectus, utriusque nomine administraret.

Ortum eodem anno bellum Lutsenburgicum, faciente id Comite Sancti Pauli. Hic enim maximo ex Gallis contracto exercitu ducatum Lutsenburgensem ingressus, devastare ac suae potestatis facere instituit, profligatis, indictaque inimicitia omnibus quicumque e Belgio Germaniaque vicina in adversum niterentur. Hinc anno 1400 cum jam Wenceslaus Imperator, luxu ac voluptatibus, totus sese immergeret, principes electores rebus laborantibus succurrendum rati, quod ea tempora Imperatorem non tantum bello acrem, sed et prudentem ac providum consiliique promptum require-

rent; rebus communibus praefecerunt Fredericum Brunsvicensem principem bellicosum et prudentem. Sed Moguntinus Episcopus ex concepto quodam erga eum odio ceteris adversatus, ne arma occupandi imperii causa expedire posset; in reditu a comitiis eum ad Frislariam insidiose ac perfide circumventum, et oppressum per Comitem Waldecensem interemit. Electores denuo congressi Bopardiae, summam rerum detulerunt Ruperto Bavariae Duci, et Electori Palatino ad Rhenum, quem Fredericus Episcopus Coloniae diademate regio cinxit. Aquisgrani eum non volebant inaugurare praetextu jurisjurandi, quo adhuc Wenceslao se profitebantur obstrictos. Hoc anno etiam mortua est Ducissa Catharina et sepulta est Monachusae. Ipse Guilielmus Dux Gelriae, e Gallia, quo profectus fuerat, regressus, anno 1402 mortuus est, et sepultus apud uxorem suam Monachusae.

Reinaldus IV Dux, rebus domi constituendis intentus, praeter cetera rem monetariam curandam, eodem hoc tempore censuit, unde non modo lege statutaque utilissima huic rei juvandae promulgari, sed ut ex iisdem obtemperaretur omni cura invigilavit.

Interim inauguratus est Brabantiae Dux Antonius, receptusque ab omnibus post mortem Ducissae Johannae, e re sua existimabat agere

cum Gelriae ac Juliae Duce Reinaldo, (quem inter suas, et affinium suorum Cliviae et Hollandiae Comitum, ditiones veluti medio loco positum non ignorabat), de Cucae dynastia et ejus metropoli Graviae civitate; praecipue quod Reinaldus, apud Antonium, nuper Brabantiae Ducem creatum, clientelam haud professus fuisset Trajecto ad Mosam. Igitur venit prope Valkenburgum; sibique proposuerat Reinaldum Gelriae ac Juliaci Ducem eo redigere ut Cucae et Graviae ditionem a se infeudum acceptam declararet; sed Reinaldus, qui se impotentem nec viribus parem animadvertebat, Valkenburgum virum gravem ac honoratum misit ad Ducem Antonium; ubi statutum, ut Duci Antonio millenos aliquot Coronatos Dux Reinaldus penderet; ipseque in Brabantiam accederet, ibi Ducem Antonium, dynastiae jam dictae Dominum agniturus; atque haud multo exinde praestitisse refertur Reinaldum, fecisseque hoc nomine ipsum Duci Brabantiae Sacramentum, in pago Empel; inspectantibus, ex more, perpluribus. Post recognitionem, de Cucae et Gravae ditionibus ab ipso Duce Reinaldo, apud Ducem Brabantiae Antonium, factam, sub finem hujus anni nempe die 14 Decembris anni 1408, ulteriore statuta consiliaque inter utriusque Ducis, Brabantiae et Gelriae, delegatos habita Sylvae-Ducis, prae-

sente Duce a Monte, ac partis utriusque consiliariis: per hos decretum factum est, quod memoratur a Pontano pag. 375, 76 et 77.

Anno 1410 mortuus est Imperator Rupertus, cui successor declaratus ab Electoribus, Sigismundus rex Hungariae et Bohemiae; Caroli IV filius.

Anno 1414 has in oras ipso veris initio profectus advenit ut, inter cetera, Aquisgrani solenni ritu inauguraretur; hic praeter ceteros adfuisse ei Reinaldum Ducem et Gulielmum ab Arckel, aliosque dynastas ac Belgii Principes, fasti domestici memorant ostenduntque acta publica. Deinde Duci eidem Reinaldo ejusque heredibus ac posteris, alteris literis, omnia praedecessorum ejus, ipsiusque, quae haberet a sacro imperio privilegia, immunitates, pignorationes, jurisdictiones, feuda, chirographa ac donationes, haec inquam singula ei ejusque legitimis successoribus renovasse atque stabilire professus est.

Anno 1418 et praecedente, ex ordine equestri Ducatus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae unanimes ac uno ore omnes, quo pax tranquillitasque universo Ducatui ac Comitatui optata constaret, statueruntur jurarunt, se una cum reliquo Ducatus Gelriae equestri ordine, ut et urbibus principalibus tribus, ac oppidis ceteris, si forte Ducem Gelriae ac Juliaci ac Co-

mitem Zutphaniae, dominum suum Clementissimum, sine prole legitima emori accideret, conjunctos ac uno foedere nexuque indissolubiles mansuros, neque se dominum aut ducem ullum, ipso defuncto, recepturos, nisi qui majori omnium ex ordine equestri, ac urbium capitalium quatuor, uti et ceterarum fuerit approbatus; quo ita Gelriae ac Zutphaniae ditiones, suis limitibus ac legibus circumscriptae permanerent; se quoque jura ac consuetudines veteraque sua statuta, uno animo defensuros, si forte infringere ea, aut obsistere illis quemquam contingeret; et idem etiam facturos si Ducis ac Domini sui Clementissimi, territoriis ac ditionibus vis aut injuria fieret.

Anno 1420 Episcopus Ultrajectensis bellum declaravit Duci Gelriae; in quo tamen nulla gesta sunt digna quae memorentur.

Anno 1423 mortuus est Reinaldus Dux, morbo subito orto, in pago ter Lette dicto, prope Rosendalium, cum annos viginti et unum ditionibus suis, summa cum laude praefuisset; sepultus est in coenobio Monachusano, ubi et fratrem ejus Guilielmum Ducem sepultum jam ante diximus. Tumulo illatum cum galea et clypeo sunt qui tradunt; utpote stirpis eorum qui ex Nassavio stemmate Gelriam tenuerunt ultimum.

Non diu post obiit Episcopus Fredericus Blankenhemius praesul Trajectensis.

Jure nunc Gelria transitura fuisset ad domum ab Arckel, sed Guilielmus ab Arckel qui debebat succedere Reinaldo, ceciderat prope Gorichomium anno 1411; ad hunc autem pervenisset Gelriae Ducatus, nam erat filius ex sorore Reinaldi Johannâ. Et Guilielmus Dux Gelriae ac Juliae Comes Zutphaniae prolem non reliquerat. Sed Guilielmus ab Arkel habebat sororem Mariam cujus maritus erat Johannes dignasta Egmondanus; Maria et Johannes habebant filium Arnoldum, qui tunc, quia pronepos esset Reinaldi, ei quoque successit; hoc accidit anno 1422. Agebat tum annum decimum quartum, vivo adhuc patre Johanne Egmondano, viro strenuo ac cordato, et consentientibus omnium propemodo Gelriae procerum votis, Ruremundensibus exceptis, qui Adolpho Juliacensi adhaerescere videbantur, non filio tantum minori Arnoldo, sed universi Ducatus ac Comitatus tutor est declaratus, conditione ac legibus certis. Uxorem anno 1423, idque procerum et agnatorum suorum consilio, duxit Dux Arnoldus Catharinam, Adolphi Cliviae Ducis filiam, natam matre Mariâ filia Johannis Intrepidi Ducis Burgundiae. Haec annum vix aetatis octavum tum excesserat, mater exinde facta plurium, ut suo loco referemus, utrius-

que sexus liberorum. Nec etiam Arnoldus, ut modo innuimus, ultra annum decimum quartum aetatis multum promoverat. Ortae sunt nonnullae discordiae, inter Ducem Arnoldum et Comitem a Monte, propter successionem Juliae et Gelriae, quarum quidem praecipua causa finita anno 1429, quo mortuus est Robertus a Monte, filius unicus Adolphi, sed Adolphus in bello perseveravit usque ad annum 1437 quo ipse obiit.

Anno sequente 1438 Arnoldo, postquam jam annos 15 uxorem habuerat, natus est filius Adolphus de quo plura deinde erunt dicenda. Mense Augusto anni 1442, Imperator Fredericus III Francofurti ad Moenam, in procerum Imperii Comitiis, prorsus firmavit, renovavit atque auxit immunitates ac privilegia Neomagensium, concessa jam olim ipsis a decessoribus ejus. Concessa sunt iis omnia privilegia, quibus fruebatur oppidum Aquisgranum (1).

Anno 1447 discordiae ortae sunt inter Arnoldum ac Neomagum propter Drielam (2); Neomagenses autem jam anno 1449, in gratiam cum Arnoldo Duce redierant.

Annc 1450 iter suscepit Arnoldus Romam et

(1) Literarum quibus haec Neomagensibus concessa sunt verba, vid. apud Pontanum pag. 482 seq.

(2) Pontanus pag. 496 seqq.

Hierosolymas; sed quum erat Venetiae anno 1451, mortuus est pater ejus Johannus Egmondanus. Mense igitur Februarii anni sequentis reversus est.

Anno 1457 Neomagenses valde accusarunt Ducem, in epistola, in qua etiam dicebatur, Dux Arnoldus multis modis, onerasse et oppignorasse arces, ditionis reditus, ac telonia et hoc contra promissa pactaque, tum in Comitiis saepe numero quam in inauguratione ipsius facta; et multa plura quae tradit Pontanus pag. 510, 511 et 512; ad quam epistolam responsum vide apud eundem pag. 512 usque ad 514.

Anno 1463 Adolphus, filius Ducis Gelriae matrimonium, cum Catharina filia Caroli Bourbonii, iniit, sine consensu patris, nam jam ante nonnullos annos discordiae ortae erant inter patrem et filium, quibus originem praebuit inprimis mater Catharina.

Anno 1464 Catharina mater filiusque Adolphus, illa in maritum, hic in patrem propius propiusque insurgentes, diu animis occultatum scelus in apertum produxerunt; quippe Catharina cum saepius odia in maritum exercuisset, eaque jam demuo erga eum ostenderet, tamen ut a foemina et conjuge profecta, vel esse dissimulanda, vel solitae mulierum procacitati adscribenda, Arnoldus censebat. Quo itaque everteret maritum, ac ei continuo suc-

cedentem haberet Adolphum filium adjutoribus sibi ad ejusmodi nefas esse opus, facile praevidebat; et erant in his Neomagenses praecipue, quos sua sponte, nec admodum, vocatos, accurrisse etiam iisdem, civitates reliquas; una cum Venloensibus traditum reperio, exceptis, qui in fide Arnoldi Ducis ad extremum perstitere Ruremundanis. Nonnulli putabant, posse sine magno opere, praesente et annuente praesertim filio, capi patrem, et in aliquo castello, quoad viveret, occludi. Quo indicato, promisso silentio et addito Sacramento ut id arcanum haberetur, se mutuo obstrinxerunt. Hoc igitur ut fieret, et cum patre reconciliatio tentaretur, priusquam salutatum eum accesserat, omnino e re sua esse ceasuit; quae reconciliatio facta est a patruo suo Guilielmo Egmondano. Quo facto Catharina uxor Arnoldi profecta est Graviam in fine mensis Decembris anni 1464. Mox secutus sub festum Epiphaniae (die 6 Januarii) anni 1465 Adolphus filius maximo cum gaudio similiter exceptus a patre, doli omnis atque insidiarum prorsus ignaro. Die 10, qui erat sceleri destinatus, dum ludum latrunculorum cum nepote suo Frederico Egmondano, Adolphus agebat, nuncius eum seorsim vocavit, dicens adfore post coenam Neomagenses, ut occultando scelere etiam mox corriperetur; Adolphus regressus ludum intermissum repetit, ac

mox ad epulas deducto comiter patre, invitat, finita coena, universos ad ludos ac choreas; velle se eam noctem amoene cum ipsis transigere. Sed pater remotis mensis postquam se humaniter excusasset, senium ac soporem obtendens cubitum concessit. Verum quieti vix redditum adoriuntur isti a Ducissa ac filio subornati latrones, armisque conclave ejus involant; ac foribus pulsatis, cum tardius admitterentur, ingressum sibi vi parant. Hinc strictis in Ducem mucronibus, ad lectum ejus procurrunt, stratoque educunt. Ille haud satis quid ageretur, communiscens quaerit a filio, num viveret ac bene ageret, arbitratus occupatum ab hoste castrum. Quo dicto, intrans cubiculum Adolphus ipse; Ita jam usus resque postulat, mi pater, inquit; age sequere. At pater adlacrimans ex filio vicissim quaerebat, quid commeruisset, quod in modum latronis aut homicidae captivus abduceretur. Sed frustra haec erant omnia, vixque tantillum ei temporis concedebatur, ut tunicâ indueretur interiori, atque ita, hieme asperrimâ, semi nudus, caput pileo tectus nocturno, per eam traductus est glaciem; quam pridie ejus noctis in gratiam filii integram relinqui jusserat. Inde per Mosae flumen quod similiter glacie obduruerat deductus, ibi Neomagensium ceteros ipsum operientes conspexit.

Quibus visis, sibi hanc technam a conjuge ac filio paratam facile intellexit. Nam cubiculum ejus qui invaserant, ora larvis occultaverant. Transgressi Mosam in equum conjecerunt ut Neomagum aveherent. Sed de eo obnixe deprecatus filium, deductus est in castrum Lobetanum, ac proxima inde nocte in castrum Burense. Hic custodes ei adsignati, qui, ut eum semper Vatiniano prosecuti odio fuerant, ita modo contumeliis lacessere, gaudio sibi ducebant. Ac postea, habito cum matre seorsim consilio ita cum patre Arnoldo Duce agere instituit filius Adolphus, ut ipse Arnoldus ejusque conjux Catharina datis Codicillis profiterentur se ditiones suas concedere filio Adolpho.

Anno 1467 Duci Adolpho ex uxore Catharina Bourboniae Graviae natus est filius Carolus Egmondanus die 9 Novembris. Jam nonnullae discordiae ortae erant inter Adolphum ac Ducem Cliviae, et anno 1469 jam votum fecerat, quum esset inter Stralam et Wachtendonckam, se patrem in libertatem restituturum si in proelio contra avunculum Ducem Cliviae victor egrederetur; sed victor egressus, non stetit promissis. Anno 1470 accepit epistolam a Pontifice Paulo II qui eum adhortabatur ut Ducem Arnoldum liberaret, inter alia etiam in ejus memoriam revocans, quae anno praecedente voverat. His permotus statim convocavit

Neomagum Equestrem ordinem ac civitatum delegatos atque iis praesentibus ea dixit quae legi possunt apud Pontanum pag. 536. Fuerunt autem in his maxime Neomagenses una cum fratribus Bilantiis, qui sceleris in ducem Arnoldum principes praecipue fuerunt. Dux Adolphus flexus eorum obtestatione ac lacrymis, mutat sententiam, ac patris libertatem differt. Ac mox allatae ad eum Caroli Burgundiae Ducis literae, una cum ultima ejusdem admonitione, qua ipsum Hesdinum evocabat, simul indicans, quid avunculus ejus Johannes Cliviae Dux, atque patruus Guilielmus Egmondanus ab ipso efflagitarent, querentes quod pactis conventis quae Gandavi Sanctissime juraverat, haud quaquam stetisset, invadendo patrui bona ejus munitiones evertendo. Adolphus acceptis Caroli Ducis literis, haud diu moratus cum insigni baronum et equitum comitatu Hesdinum proficiscitur. Facta ibi inter epulandum, praesentibus una cum Adolpho ex nobilitate ex familia Ducis principis viris, mentio vinculorum Arnoldi Ducis: unde capta statim occasione Carolus Dux, Adolphum affinem suum affatus, eum iterum serioque orare ac obsecrare coepit, sua atque eorum, qui praesentes aderant, nobilissimorum procerum ac virorum gratia, ut liberum patrem dimitteret. Respondit autem se ordini Equestri ac civi-

tatibus suarum ditionum juramento obstrictum esse, se haud dimissurum patrem sine eorum consensu. Sed tandem epistolas scripsit ad praefectum Castelli Burensis; quibus monebatur ille, ut Arnoldum Ducem sine mora dimitteret: eoque facto confestim ex arce Burensi Thielam atque inde Sylvam-Ducis deduxerunt; ac mox Hesdinum veniens a Carolo Duce omnibus aulae primoribus perbenigne et magno cum gaudio acceptus est; solus ab eo, retorsisse oculos filius memoratum, Adolphus, quum Caroli Duci ob hanc patres liberationem, iratus esset, clam suis persuasit, ut paulatim in suam regionem se reciperent. Quod dum fit, dumque ipse cum exiguo interea Comitatu ibidem haeret, rumor ad Gelros defertur, teneri, a Carolo Duce, Adolphum. Unde continuo, Ordo Equestris ac civitates, habitis Zutphaniae Comitiis, unanimis votis decreverunt, se Gelriae Ducatum ac Zutphaniae Comitatum, omnesque Gelriae ditiones, arces propugnacula, munimenta, praefecturas, aliaque ejusmodi servare ac servaturos, dum peregre Adolphus abesset, ad ejusdem Adolphi, haeredumque ejus obsequium ac fidem.

Concesserat jam Hesdino Dorlanum Carolus, atque ibi cum essent quoque praesentes Arnoldus Dux, filiusque Adolphus, ibique coram Carolo, suam uterque causam in coetu ac con-

silio nobilissimorum hominum disceptarunt. Pater intrepide fortiterque se defendit, inque filii manifestam impietatem crudelitatemque praesenti animo invectus, cum rationibus, tum virorum bonorum testimoniis innocentiam suam cunctis probavit (1). Carolus eos inter se conciliare volebat; magis tamen erat propensus in filium, cui et Burgundiae praefecturam et Gelriae possessionem permisit; excepto tamen oppido Graviae, quod patri ut servaretur volebat, et simul ut tria aureorum millia quotannis, et ex annua pensione ei solverentur; Gelriae Ducis nomen tantum gereret. Adolphus vero respondit: se malle in puteum praecipitem dare patrem atque dein, se ipsum in eundem conjicere, quam ejusmodi conditiones accipere, addebatque pati se posse, ut ille quotannis haberet tria aureorum millia, sed ea conditione ut ex Gelria discederet nec unquam eo reverteretur. Hisce igitur nondum compositis, quum Hesdino clam evadere voluisset Adolphus, a sacerdote quopiam est proditus; circa Namurcum Mosam trajecturus ut Gelriam inopinato in-

(1) Philippus Comineus (Memoires de Ph. de Comines Liv IV, Chap. I.) dicit, vidi ipse cum ambo suam causam, non simel apud Carolum, in coetu ac consilio multorum hominum disceptarent; vidi cum pater filio deferret duellum, caet.

traret. Ac mox captus Namurcum per praefectum castelli, cui id a Carolo mandatum erat reductus est, inde Vilvordam ac tandem Cortracum missus, ibi usque ad mortem Caroli Burgundiae honesta in custodia retentus mansit.

Dux Carolus Arnoldo praeter varia dona, quibus eum ut princeps liberalissimus affecit etiam pecunia juvit, ut militibus coactis recuperaret, sibique obsequentem redderet Gelriae Ducatum et Zutphaniae Comitatum. Postea cum militibus versus Graviam profectus est, et a Graviensibus honorifice fuit exceptus. Praefectus vero castelli aliique qui arcem urbis servabant, agnoscere nec admittere volebant; cives autem adjuti Ducis militibus oppugnationem instituerunt, vi armata praecipuum arcis propugnaculum in suam potestatem redegerunt, postea qui arcem habebant vitam salvam pacti, se arcemque Arnoldo Duci tradiderunt. Inde non diu post receptus quoque Arnoldus fuit a Ruremondensibus ac Gelrae oppido.

Ceteri incitantibus praesertim Neomagensibus obsequium praestare ei negarunt; estque ab iis in locum Adolphi, qui, ut meminimus Cortraci tenebatur captivus, electus veluti tutor ac praefectus ditionum, Meursae Comes Vincentius; qui et administrationem earum eodem hoc circiter tempore suscepit. Leges quibus guberna-

re illas regiones debebat videri possunt apud Slichtenhorst (1).

Hoc tempore foedus inter se inierunt Neomagi, Gelriae civitates tres primariae Neomagum, Zutphania et Arnhemum, ordoque Equestris earundem tetrarchiarum; quo unanimes ac singuli promiserunt se in omnem eventum auxilio sibi invicem adfuturos siquid cuiquam incommodi accideret.

Postea literas scripsit Arnoldus ad Arnhemienses, eos adhortatus, ut legitimum ac verum suum dominum reciperent, relicto impio filio, qui incarceratum, se ad iniqua pollicenda manuque sua subscribenda coegisset, quae jam liber ac sui juris revocare se cuncta testabatur. Ad Zutphanienses quoque vernacule scriptos Codicillos misit (2).

Anno sequenti 1472, Pontifex Sixtus IV monuit Neomagenses sub excommunicationis poena, ut quum ipse omnia illa promissa ac jurejuranda quae tempore illegitimae incarcerationis suae Arnoldus fecisset Adolpho, rescinderet ducemque ab iis solveret, eum reciperent et jurarent iterum se Arnoldum agnoscere dominum suum ac Ducem.

Dux Arnoldus quum videret maximam perti-

(1) Geld. Gesch. IX Boek pag 265. §. 115.
(2) Quarum verba apud Pontanum pag. 511.

naciam subditorum suorum, cum Carolo Burgundiae Duce agere incoepit, de oppignorandis Gelriae Ducatu et Zutphaniae Comitatu in oppido Divi Audomari (St. Omer) ut acceptis nonaginta duobus aureorum Rhenensium millibus, ac certis retentis reditibus annuis Burgundo ditiones suas Arnoldus cederet idque titulo ac jure oppignorationis (1).

Initio anni sequentis 1473, quum Arnoldus Dux ex aula Burgundiae domum reversus, ac rebus cum in modum ut est memoratum, cum Duce ejusdem Burgundiae, consanguineo suo, compositisque statutisque, dum ingentium earum malitionum exspectabat exordia eventumque, die 23 Februarii e vita excessit in oppido Graviae; estque in eadem urbe Graviae funus ejus honorificentissime celebratum in aede Divae Elisabethae sacra; cor ejus Sylvam-Ducis ipso volente deportatum ac coenobio quodam, quod ibi erat ordinis S. Gertrudis illatum; ibidemque terrae mandatum est. Hic vitae fatorumque Arnoldi Ducis finis fuit, principis, quod ejus superius acta demonstrant, moderatissimi mitissimique. Quique adversariorum perfidiae iisque ipsum machinationibus ac malignitati, quae opponeret, duo praecipue habuit, pieta-

(1) Literas hujus rei vide apud Pontanum pag. 542 et seqq. usque ad 549.

tem ac vitae innocentiam. Regnavit, si tempus, quo captivus fuit computetur, annos 51 et pervenit ad aetatem 65 annorum.

Statim post mortem Arnoldi Ducis, Burgundiae Dux Carolus animum ac manum vertit ad universas Gelriae ditiones, vi contractus, de quo superius, sub suum obsequium reducendas. Non desiit ipse Carolus, missis in Gelriam legatis, civitatum praefectos ordinesque totius ditionis identidem ac serio adhortari, ut suum, aut ejus, quem suo ad eos nomine esset missurus, imperium reciperent; se, nisi facerent, cum exercitu mox adfuturum, ac jus quod sibi deberetur armis allaturum. Sed legati cum minus secunda referrent, paratosque Gelros dicerent, potius ultima experiri, quam imperata facere, venit Valencenas Dux Carolus, ut ibi collegium Equitum aurei Velleris suppleret. Citandum simul eodem Adolphum Gelrum fecit; atque eum in pleno Belgii Senatu per fisci advocatum accusari mandavit; quod patrem bonis atque honore spoliasset; quodque eundem contra naturae leges sexennali in carcere captivum tenuisset, defendente se, ut potuit, per procuratorem similiter Adolpho. Causae judices, qui sedebant, post aliquod temporis intervallum, unamines pronuntiarunt: eam, quae esset inter Carolum et Arnoldum Ducis habita, de Gelriae Ducatu et Comitatu Zutpha-

niae transactionem, legitimam ac ratam censendam; et posse Carolum dictas ditiones, earumque, cum ipsi liberet, possessionem adire sibique eas subjicere; Adolphum vero Gelrum utpote qui male atque impie patrem tractasset, perpetuis detinere vinculis (1).

Quae ubi esset lata sententia confestim Carolus Audax Trajectum ad Mosam profectus, militem sub signa reduxit et primum cepit Ruremundam; mox vicit ditiones Cucenses et Kesselenses, deinde arces Montfortium, Venloam et nonnullas alias; tandem quoque profectus est adversus Neomagum, quae urbs in ejus potestatem venit post tertiam obsidionis hebdomadem; incolis paciscentibus vitam atque urbis incolumitatem, mense Augusti 1473; postquam interim fortissimos atque strenuissimos viros, in quibus Reinerum Broechusium amisissent. Post haec Gelriae Dux et Zutphaniae Comes ab omnibus agnoscitur, claves ei deferentibus ceterarum civitatum magistratibus, qui ex eventu obsidionis Neomagensis hoc consilium capere statuerunt. Liberi Adolphi, Carolus et Philippa mittebantur Gandavum; ubi quam honestissime apud conjugem Caroli Margaretham, filiamque Mariam annos exinde aliquot educati degere.

---

(1) Vid. Grotius de Jure B. ac P. Lib. II. Cap. 20.

Hinc ad Fredericum III Imperatorem, tum Treveris agentem, profectus Gelriae; investituram non difficulter impetravit. Hinc secuta sub annum proximum qui erat 1475 Novesii obsidio. Ubi quum erat et adventantem ex adverso imperatorem exspectabat, missis praeter ceteros, ad Guilielmum Egmondanum, quem Gelriae praefecerat, literis, ei militem majoresque copias ut cogeret per Gelriae ditiones impetravit, ac mitteret quam possit expeditissimos; haec obsidio soluta est medio anno 1476. Postea Carolus Dux exercitum misit in Lotharingos et Helvetios.

Annus 1477 erat ultimum praelium contra Renatum Lotharingae Ducem, in quo caedebatur potentissimus Burgundorum princeps Carolus, quo majorem apud vicinos reges atque populos auctoritatem hoc tempore nemo habuit. De morte ejus multi diverse scripserunt.

Gelri, mortuo tam potenti principe, Comitia extemplo iterumque Neomagi celebrarunt, in quibus communibus omnium suffragiis decreverunt, se Adolphum Gelriae Ducem ac Comitem Zutphaniae verum ac legitimum suum dominum agnoscere, aut eo deficiente vel defuncto, qui essent haeredes ei proximi. Interea rebus praeerat Catharina soror Adolphi. Adolphus, qui huc usque Caroli mandato captivus ac carcere inclusus Contraci fuerat, a Flandris,

annuente Maria, filia Caroli, liberatus est e carcere et copiis quas una cum sociis adversus Tornacenses adducebant, praefectus. Ille e carcere emissus extemplo per amicos rei hujus certiores fecit Gelriae proceres, eos iterum serioque commonens, ut, se absente, sororem suam Catharinam, dum ipse vel liberi sui patriis redderentur laribus, colerent, eique dicto audientes essent. Anno autem hocce die 22 Junii caesus est apud Tornacum, anno aetatis 39, Tornaci sepultus.

Adolpho igitur mortuo, Catharina Adolphi soror, a Gelriae proceribus, Adolpho etiam extrema voluntate, ut diximus, cupiente ad rerum administrationem admissa, ante omnia praefectus a Carolo Burgundo constitutos dimisit, atque omnia nomine Caroli nepotis sui, licet ille in aula adhuc Burgundica teneretur, egit. Pactum iniit deinde cum rege Francorum Ludovico XImo. Miserat praeterea ad Ducissam Burgundiae Mariam legatos, qui Carolum nepotem suum et neptem Philippam repeterent, et ad lares suos, unde abduci eos Carolus Burgundus fecerat illa volente reducerent. Eodem anno 1477 mense Augusto, Gandavum ubi venisset Dux Austriae Maximilianus, praeeunte Antistite Tornacensi, Mariam Burgundicam sibi uxorem Legitimam duxit

Gelri interea propiore nexu ac foederatione

cum rege Francico Ludovico, ejusque consanguineo Ludovico Borbonio, Leodiensium antistite Caroli, Adolphi filii, avunculo se conjunxerunt.

Estque fere eodem tempore, cum Guilielmo Egmondano ejusque filiis et Domino Culenburgico, inita transactio; permissumque ut illi per Gelriae ditiones universas res suas tuto agerent, sed ut operam, prouti possent, darent, ut liberi Adolphi Ducis, qui in aula Burgundica essent, suae redderentur potestatis; nec se adversus Gelriae ditiones cum Austriae Burgundiaeque Duce Maximiliano, nisi summa coacti necessitate, conjungerent.

Erat anno 1478 Zutphaniae princeps illustris ac praesul Monasteriensium reverendus Henricus Swartsenburgius, qui sexaginta aureorum Rhenensium millibus universum Zutphaniae Comitatum oppignoratum ab Imperatore acceperat, ea lege, ut veris heredibus idem vicissim Comitatus pateret, quam primum illa pecunia summa ipsi aut ejus successoribus redderetur.

Diploma iisdem diebus evulgari Catharina Ducissa fecit, missis non ad Gelros tantum sed ad Comitatum quoque Zutphaniae ejus exemptis; quibus serio severeque mandatum oppidano magistratui voluit, ut jus diceretur ubivis, atque admistraretur, iis in finibus sub nomine

illustrissimi principis Caroli Gelriae ac Juliae Ducis, Zutphaniae Comitis.

Anno 1479 Gelri bellum gesserunt, cum Hollandis ob lites quasdam inter piscatores urbis Hardervici et Amstelaedami ortas. In hoc bello, favente fortuna usi sunt Gelri, ceperunt oppidum Leerdam (1).

Anno 1481 Gelriae proceres, degente Sylvae-Ducis cum ingenti exercitu Maximiliano ut eum in Gelros duceret habito inter se consilio, eam cladem a se avertere consultius existimarunt. Missique Sylvam - Ducis Neomago, qui pacem aequis conditionibus impetrarunt; facto promisso, se ut principem accepturos, ac data obsequii fide inauguraturos. Hinc Neomagum Dux venit unaque Ducissa Maria cum gravi equitum peditumque comitatu, ibique in ejus verba cuncti jurarunt, seque potestati ejus, exceptis Venloensibus, commiserunt. Inauguratus quoque ut Gelriae dux, non ibi modo sed et Zutphaniae quoque verum absens; nomine autem ipsius juramentum a civibus accepit, quem Gelriae toti praefecit Adolphus Nassavius. Postea Maximilianus vires omnes in Venloenses convertit, et illi post arctissimam dierum aliquot

(1) Vid. van Mieris Ned. Vorsten, I. D. p. 154 et Gouthouven Chron. van Holl. fol. 515.

obsidionem ad deditionem compulsi. Ubi similiter inauguratione habita Gelriae Dux ab omnibus agnitus est. Mense Aprilis mortua est equo delapsa Maria, uxor Maximiliani aetate 25 annorum. Mense Januarii mortuus est, Guilielmus Egmondanus, Arnoldi Ducis frater, et sepultus est Graviae. Mense Septembris ejusdem anni, obiit Francorum rex Ludovicus XI, qui praeter caetera Gelricae domui amicus ac foederatus, nihil non egerat ut e manibus ac domo Burgundica demitterentur Adolphi Ducis liberi.

Anno 1484 ab omnibus proceribus ac civitatibus Gelriae, Maximilianus iterum agnitus est Gelriae Dux, et Comes Zutphaniae. Anno 1486 factus est rex Romanorum Francofurti ad Moenum et mense sequenti Aprilis, inauguratus est Aquisgrani.

Anno 1491 quum agi jam serio apud Galliae regem de liberando cognato suo, Gelriae hereditario Duce Carolo, et eam quoque rem curae ac cordi esse Gelriae proceribus identidem intelligeret, misit confestim ad Adolphum Nassavicum, quem Gelriae ducatui praeposuerat, codicillos nec non literas reddendas cuique Gelrici Ducatus tetrarchiae seorsim; proceres ordinemque equestrem ac civitates universas iterum, iterumque commonens, ut praestiti sacramenti memores persisterent. Tamen

sine effectu nam anno seq. 1492 Carolus Egmondanus in Gelriam venit, et primo Ruremundae atque Venloae conspectus suorumque omnium gaudeo acceptus ac salutatus est. De vita quidem praeclari viri Caroli Egmondani, de cujus vita proprius liber conscribi merenetur; nos tamen breviter de eo, pauca dicemus; de rebus in vindicando adferendoque Ducatu gestis.

Anno 1494 Dux Carolus salutavit Maximilianum Imperatorem Graviae eique promisit Caesar, si solidis documentis demonstrare posset, se legitimum ac vere natum, Gelriae Ducem, se haud quaquam impedimento fore quo minus principatum jure debitum secure ac placide possideret. Inde iis quatuor Imperii Electoribus compromissio, ut vocant, facta. Hi cunctis, die constituto, ad examen propius vocatis, pronuntiarunt, nec esse Carolo, neque ejus progenitoribus fuisse juris quidquam in Gelriae Ducatum ac Comitatum Zutphaniae, exstinctum fuisse anno 1427 veterem Gelriae Ducum stirpem, omnium ultimus quum fuisset Reinaldus IV. Avum ejus Arnoldum patremque Adolphum, ab Imperatore haud fuisse investitos, eosque circiter annos 50 contra imperium arma tulisse, eamque in commissum, ut vocant feudum recidisse, Carolum deinceps nominandum non Gelrum sed Egmondanum. Qua sane se-

vera sententia nec Imperator nec Electores efficere potuerunt, quo minus Carolus Gelriae Dux passim a suis appellaretur ac principatus possessionem ad vitae usque finem retineret: quin Gelria omnis ac Zutphanienses nimium quantum ea declaratione exacerbati, validius arctiusque inter se foedus iniverunt, de Carolo principe tuendo, eique modis omnibus, suo in Ducatum ac Comitatum, jure conservando.

Hinc non modo cohibuere suas ingredi provincias, Caesaris milites, verum et praesidiarii ejus omnes, pedites equitesque loco ubivis moti pulsique. At contra Imperator magno coacto exercitu, primum impetum ira motus fecit in Ruremundenses, quos postquam ad deditionem coegisset; mota continuo adversus Neomagenses castra. Sed hi fortiter urbem suam defendentes principem solvere obsidionem coegerunt.

Anno 1496 mortua est Catharina a Gelder, soror Adolphi, quae defuncto Adolpho ditiones Gelricas non sine laude, prudentia, ac moderatione annos plures administraverat.

Die 21 Decembris anni 1497 pactum pacis factum est inter Ducem Austriae Philippum Pulchrum et Gelriae Ducem, in quo declarabatur Carolus Egmondanus manere in potestatem re-

gionum suorum; ceterae conditiones videantur apud Slichtenhorstium (1).

Anno 1498 rebus ad majus et luctuosius bellum spectantibus, Johannes II, Caroli I Ducis Borboniae filius, Carolo Gelriae principi avunculus, ei expeditissimos armatorum aliquot cohortes subsidio misit.

Anno 1499 proceres, ordoque Equestris, cum civitatibus Neomago, Ruremunda, Zutphania, Arnhemo, et quae illis erant addita, oppida minora, propius se conjunxerunt cum Duce suo Carolo.

Anno sequenti nempe 1500, die 24 Februarii natus est Gandavi Carolus, postea ejus nominis Imperator quintus, filius Archiducis Philippi Ducis Brabantiae et Comitis Hollandiae.

Anno 1504 per Hollandiam, et maxime Amstelaedami, evulgari per publica diplomata, Philippus Dux fecit, ne quis subditorum suorum, cum Gelris commercium haberet, quisque suo periculo ageret. Qui rumor primo Hardervicum mox ulterius et maxime Arnhemum cum esset per literas dilatus, omnium animas haud leviter commovit. Verum archidux Philippus, quod instituerat, serio agens labente jam aestate cum omni, quem fecerat unde quaque comportari, bello apparatu, ma-

(1) Op. l. Lib. XI. §. 18.

ximoque et fortissimo militum exercitu Sylvam-Ducis accessit. Unde et fecialem sive haraldum statim suum Gelro misit, ac denunciato bello, illum abstinere jussit ab eo, quem injusto titulo possideret, Gelriae ac Zutphaniae principatu; nam se jure hereditario illum principatum consecutum esse ab avo Carolo Audace et Patre Maximiliano (1).

Anno 1505 non spernendo exercitu in Gelriam se contulit. Et Arnhemum obsidione cinxit, quae urbs post tormentorum aliquot explosionem atque oppugnationes iteratus quae fortiter exceptae rejectaeque fuere, cum tertia instaret aggressio sese dedisse traditur. Dedita quoque sunt nonnulla oppida in Velavia in quibus etiam Hattemum, in obsessione arcis cujus captus est Reinerus, filius nothus Ducis Gelriae Adolphi. Interim bellum iterum inceptum est et Dux Carolus tunc recuperavit nonnullas civitates et anno 1514, stratagemate recuperavit Arnhemum.

Hoc etiam anno 1505 induciae factae sunt in quatuor annos inter Carolum Ducem et Philippum; qui anno sequente Burgos mortuus est.

Anno 1519 mortuus est Imperator Maximilianus aetate 60 annorum. Eodem anno Dux

(1) Quae respondit Carolus Egmondanus videantur apud Pontanum Lib. XI. pag. 626.

Carolus Egmondanus matrimonium iniit cum Elisabetha Lunenburgensi. Interim Carolus, qui rex erat Hispaniae, (nam anno 1506 patri successerat pro sua parte, anno 1516 in ceteris successit partibus avo suo Ferdinando Catholico,) ab Electoribus Francofurti, loco avi sui Maximiliani Imperator Electus est, nondum 20 annos natus.

Jam ante nonnullos annos bellum erat ortum inter Episcopum Ultrajectensem et Carolum Ducem Gelriae, propter Groningam, in quo subinde factae sunt induciae; sed anno 1527 induciis iterum finitis, ad bellum alacres redierunt. In hocce bello milites Episcopi profecti sunt, adversus Thielae interamnia (Thielerweert), et praecipue versus pagum Gellecom. Ex eo tumultuose effusi praesidiarii abeuntium terga, praeda etiam aliquanta recepta, carpsere, sed in eo modum excessisse memorantur, quod caesornm corpora membratim dissecta e turrium aut aedium tectis, quae hostes erant transituri, suspensa omnium oculis exposuerint. Qua ignominia efferatae cohortes juraverunt, hostium caede suorum sanguinem ita expiaturos, ut, capto praesidio, tam inermes quam armati poenam vicissim luerent, et tandem quoque ceperunt, multis hostibus caesis atque arce direpta et igne diruta Dorestadium redierunt.

Anno 1528 Gorinchomii foedus factum est, inter Imperatorem Carolum V, regem Hispaniae, Comitem Hollandiae, Ducem Brabantiae, et Carolum Ducem Gelriae; quo etiam continebatur ut, »deficiente utriusque sexus stirpe Gel»riae ac Zutphaniae, Caesari aut ejus legiti»mis Brabantiae Ducatus ac Comitatus Hollan»diae heredibus relinqueretur" caet. Sed parum curaverunt hoc foedus Gelri; nam mense Januarii, anno 1538, pactum Neomagi factum est, et subscriptum ab ordinibus, inter Ducem Gelriae et Cliviae de successione Ducatus Gelriae; in quo pacto statutum, ut post illustrissimum principem Carolum, sine legitimo prole mortuum Ducatus ac Comitatus Gelriae ac Zutphaniae una cum ditionibus universis, ad principem illustrissimum Guilielmum Juliaci ac Cliviae etc. juniorem Ducem, neque ad alium quemquam perveniret (caetera hujus pacti habet Pontanus Lib. XI p, 788 seq.)

Et eodem mox anno Guilielmus se inaugurare fecit in nonnullis civitatibus, inconsulto Duce Carole. Quae quum intellexisset Carolus, animoque reputaret, quo jam esset loco quamque vivus vidensque pessundaretur, qui ne caesaribus quidem olim aut regibus subjici potuerat, concepto animi moerore morboque tentatus, Arnhemii Carolus obiit, cum annos vixisset sexaginta, nullis ex conjuge Elisabetha

Luneburgensium Ducissa relictis liberis, nothis vero utriusque sexus aliquot. Quinquaginta fere annis continuis, sub actis aut in fidem suum receptis hinc Trans-Isalanis, Frisiis, Groninganis, inde per dioecesin Ultrajectinam, aut mari cum Hollandis domoque Burgundica ac gentibus vicinis assidue quum pugnasset, victor saepius quam victus fuit.

Funus maxima cum solemnitate ac pompa, ductum Arnhemio, conditumque corpus mausoleo in aede Cathedrali divo Eusebio sacra. Post mortem itaque Caroli, ordines Gelriae Zutphaniaeque Guilielmum II filium majorem natu Ducis Johannis Cliviae, dominum ducemque suum, idque ex pacto convento de quo superius dictum laeti volentesque receperunt; et principem jam hereditarium solenni cum ritu, ut fieri solebat, omnes agnoverunt. Antonius Lotharingae Dux statim Legatos misit ad Gelros, qui nomine Ducis sui significarunt, proceribusque in memoriam revocarunt, non esse illustrissimo principi Carolo Gelriae Duci, Comitique Zutphaniae cognatione propinquiorem heredem quam dominum suum Antonium Lotharingae (1); Et ideo Gelriae Ducatum ac Co-

(1) Nam Antonius erat filius Philippae, filiae Adolphi, sororis Caroli Ducis, qui matrimonium inierat cum Renato Duce Lotharingae.

mitatum Zutphaniae, una cum aliis eodem pertinentibus ditionibus ditionumque reditibus, proventibus ac jurisdictionibus ad eum jure hereditario pervenire debere.

Quibus acceptis, responderunt legatis proceres se eorum relata probe intellexisse et ea cum ordine Equestri ac civitatibus, quae modo Ruremundam convenissent, communicaturos; ac inde intra hebdomadessex, ad Dominum ac Principem, ipsorum studiose ac demisse relaturos singula; ac ejus postulatis debito obsequio atque responso satis facturos, haud dubitantes quin ei suum propensum, voluntatem, ac debita officia essent probaturi, et sua vicissim ipsum id semper gratia testaturum prosecuturumque.

Sed quum Carolus Imperator erat in Italia nunciatum est ei, non tantum, Guilielmo Cliviae ac Juliae Duci ordinum consensu in Gelriae ducatu caeterarumque ditionum, successionem delatam esse; sed Carolum quoque, Gelriae principem, jam obiisse, nullumque legitimum successorem reliquisse; quo circa statim missa ad Belgii Gubernatricem Mariam Austriacam, Caesaris mandata, quae eam, quid fieri vellet quidque e re sua fore judicaret, nuntiarent (1).

(1) Hae literae a Maria ad ordines missae, et quid ad eas responsum fuerit ab ordinibus Gelriae vid. apud Pontanum Lib. XI. pag. 809, 10.

Mense Januarii, anni 1539 mortuus est Johannes Dux Cliviae, pater Guilielmi, successorem relinquens filium Guilielmum, Ducem inauguratum Gelriae. Eodem anno, quo ordinum imperii conventus habitus est Francofurti ad Moenum, in quo scriptis editis defendere voluit Carolus jus suum in Gelriae Ducatum, juribus majorum suorum.

Anno 1540 Carolus profectus est ex Hispania, et venit Gandavum, praecipue propter seditionem Gandavensium contra Mariam. Guilielmus Dux quum animadvertisset Carolum appropinquare, exercitum suum, consentientibus ordinibus, amplificavit.

Anno 1541 Profectus est Ratisbonam ut ibi adesset comitiis, sed quid in hisce factum et dictum est de jure Caroli V in Ducatum Gelriae, videbimus in Parte sequenti.

Anno 1542 a Principe Arausiaco, Renato, occupata est tota ditio Juliacensis, quo facto princeps ille adortus fuisset Cliviam et Gelriam, nisi Episcopus Coloniensis et Landgravius Hessiae se obtulissent ad pacem conficiendam.

Anno 1543 quum legati Guilielmi Ducis in Comitiis Norenbergensibus erant, ad pacem conficiendam cum Imperatore; Carolus Imperator ipse venit ex Hispania in Galliam urbemque Spirensem; ubi quum audivisset Protestantium

legatos, iisque pro parte satisfecisset; intercedentem quoque ibidem pro Guilielmo Cliviae Gelriaeque Duce, Praesulem Coloniensem, Ducisque Saxoniae legatum audivit. Verum alio festinans Caesar id tantum iis respondit, nullas se pacis conditiones admissurum, nisi in perpetuum Gelriae Ducatu ac Zutphaniae Comitatu Guilielmus cederet.

Imperator celebratis Spirae Nemetum Germaniae principum Comitiis, ordinum praesidibus mandavit, ut milites in Germania conscriberent. Postea juxta Rhenum descendens, cum exercitu 34000 peditum, et 8600 Equitum Duram venit, quae urbs die 24, mensis Augusti, capta est. Dicunt quoque trucidatos ferroque sublatos ad unum fere omnes fuisse ejus incolas, ac tandem postquam jam direptum esset oppidum, igne quoque, vel injecto vel fortuito, conflagrasse; adeo ut templum cum turri excelsa penitus exustum foedatumque fuerit (1). Deinde quae erant reliquae tam Cliviae quam Gelriae civitates, adventante exinde Caesaris exercitu nihil moratae portus aperuerunt. Guilielmus tot adversis perculsus, inque sola Caesaris benignitate salutis ac fortunarum suarum spem collocandam arbitratus, apud Cae-

(1) Plura de hac obsidione apud Pontanum Lib. XII. pag. 830 et 831.

sarem est usus deprecatoribus, Arausiaco Principe, Renato Nassavico, Henrico Brunsvicensium Duce, Archiepiscopo Coloniensi Hermanno, aut ejus legatis. Ab his in castra Caesarea deductus supplex a Caesare veniam petiit; obtendens praecipue juveniles annos et lubricum ejus aetatis, atque addens postremo, posse se culpam et errorem hunc suum, constante erga Caesarem fide deleri in posterum et emendari. Quae verba excipiens Caesar, aut ejus nomine cancellarius, respondit, imperatorem, perspecta ejus submissione Dei Opt. Maximi intuitu, cui omnia sua referret accepta, tum et principum atque ordinum Imperii intercessione, ac pacis vel maximo studio et ut tollerentur gravissima, quae ex hoc belle Ducatus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae incolis, ac toti denique Germaniae genti imminerent, incommoda, hanc ipsius clementer admittere deprecationem; atque inde in gratiam est receptus, certis legibus, quae a delegatis Caesaris concepta atque designata sunt die 7 Septembris; quae conditiones vid. apud Pontanum, Lib. XII. pag. 832.

Inde Caesar, acceptâ datâque Duci fide, Ducatum ei suum restituit. Remisit praeterea, quod ipsi praestitissent sacramentum subditi ejus, servata semper, quam debebant, Imperio reverentia atque obsequio. Redditum

quoque Ravensteinium sub fide clientelae, quae Caesari, ut Duci Brabantiae debebatur: offensiones similiter utrimque remissae omnes, et libere dimissi captivi; mandatumque ordinibus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae universis, ut Ducem immunem atque exemptum haberent a pactis atque obligationibus quas cum ipso fecissent etc. Atque sic utrimque et Carolus Imperator et Dux Guilielmus singula haec, dolo ac fraude remotis, suis sigillis additis, esse rata firmataque voluerunt. Quibus eum in modum peractis, Barones deinde ordoque Equestris agnovere imperatorem verum, legitimum ac hereditarium ditionum Gelriae ac Zutphaniae Dominum; idque vi et auctoritate feudorum quae facta jam olim erant a majoribus ejus.

Deinde barones, iidem ordoque Equestris ac delegati jam memorati, in verba Caesaris jurarunt, eique, ut et heredibus ejus, fidem, obsequium ac reverentiam promiserunt. Inde haud defuere qui Caesari exhibitis libellis rationem docere tentaverunt qua contineri intra officii Gelri possent, propter regionis suae ac situs oportunitatem facile mobiles et ad seditionem parati (1).

Imperator, Ducem in exercitu suo adscrip-

(1) De tali Libello ab incognito, lingua Gallica, conscripto vid. Pontanus Lib. XII pag. 835 et 836.

sit Martinum Rossemium, qui hoc munere jam functus erat, sub Carolo Egmondano et Guilielmo. Erat hic vir audacissimus et belli quam maxime peritus.

Tandem praefectum Gelriae nominavit Renatum Principem Arausiacum.

Atque ita quum historiam Gelriae Ducatus atque Zutphaniae Comitatus, leviter sane, sed pro viribus, delineaverimus usque ad illud tempus, quo pervenerunt ad domum Austriacam, transeundum est ad alteram partem hujus disputationis, qua dicemus de jure, quo hoc fuerit factum.

Pars Secunda.

DE JURE, QUO GELRIA ACCESSIT DOMUI AUSTRIACAE.

Sic igitur pervenimus ad locum quo agemus de Jure quo Gelria tandem accessit ditionibus domus Austriacae, sive ad Carolum V Imperatorem, Regem Hispaniae, cunctas jam alias Provincias Belgicas tenentem.

Primo videbimus de jure quod Carolus habuit per abavum suum Carolum I, cognomine Audacis, Comitem Hollandiae ex domo Burgundiae. Deinde de illo quod ut Imperator habebat in Gelriae Ducatum et Zutphaniae Comitatum.

Antea vero in memoriam revocanda sunt illa, quae fusius jam, in capite II Partis Prioris, memoravimus.

Reinaldo IV Duce Juliaci et Gelriae, et Comite Zutphaniae, qui Ducatum illum et Co-

mitatum, quamdiu vixit, quiete possedit, sine liberis mortuo, anno 1423, Sigismundus, qui tunc Romanus rex erat, Ducatu Gelriae ac Zutphaniae Comitatu tanquam feudis ad sacrum Romanorum Imperium devolutis, Adolphum Ducem Juliacensem, ipsum ejusque feudi haeredes masculini generis, investivit, ut apparet ex literis investiturae, datis Budae anno 1425. Verum eo tempore Arnoldus Egmondanus, Reinaldo sanguine proximus, ut pote ejus ex sorore pronepos, eorundem Ducatus et Comitatus possessionem obtinuit, unde plurimae controversiae et graves inimicitiae, inter Ducem Adolphum Juliacensem et Arnoldum Egmondanum possessorem, ortae sunt, et sententiae atque anathemata Imperialia contra Arnoldum edita. Quum postea ipse quoque Dux Adolphus sine liberis et nunquam potitus istarum ditionum possessione, decessisset, idem Sigismundus Romanorum Imperator, Gerardum Ducem Juliacensem, Adolphi ex fratre nepotem Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae, iisdem legibus et conditionibus investivit (1).

Postea anno 1465 Arnoldus Egmondanus a filio suo Adolpho in arce Burensi includebatur; unde liberatus est anno 1471, auxilio Ca-

(1) Ut constat per literas Sigismundi datas Pragae, anno 1437.

roli Audacis, (abavi Caroli V), qui ei pecuniam quoque dedit ut posset dignitatem suam tueri. Deinde Carolus Dux cum omnia jura ad Arnoldum Egmondanum in eodem Ducatum Gelriae ac Comitatum Zutphaniae pertinentia per liberam ipsius Arnoldi cessionem (1) obtinuisset, ut haec sua jura firmiori nexu, et vinculo roboraret, omnia quoque Gerardo Juliacensi ejusque filiis Guilielmo et Adolpho competentia jura ab eisdem Gerardo et liberis, juste legitimeque adjungi curavit. Quem quoque contractum Fredericus Imperator, Imperatoria auctoritate ad expressam ambarum partium supplicationem approbavit et confirmavit; atque Carolum Burgundiae Ducem de Ducatu Gelriae ac Comitatu Zutphaniae ipsum heredes et successores infeudavit et investivit. Ceterum Duce Carolo mortuo Fredericus Imperator Maximilianum filium et Mariam filiam, ipsius Caroli, Maximiliano matrimonio junctam, Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae investivit anno 1478, ac demum Maximilianus jam Romanorum Rex, post obitum Mariae, Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae, principem Philippum Castiliae regem, ejus filium atque legitimos heredes, investiturum promisit. Quo re-

(1) Ut constat ex publico de ea re, anno 1472, confecto instrumento.

ge Philippo mortuo, Ducatus ipse et Comitatus ad filium ejus natu majorem, Carolum (deinde Imperatorem) qui etiam illorum postea investituram obtinuit, pervenerunt.

Ipse porro Carolus jam Imperator, multa bella gessit cum Carolo Egmondano, et cum eo diversos tractatus et pacta iniit; inter alia tractatum Gorinchomii anno 1528; et Graviae anno 1536. Quibus ea lege et conditione Carolo Egmondano principatuum possessionem cessit, ut, si ipse Carolus Egmondanus, sine legitima prole decessisset, Ducatus et Comitatus ad Carolum Caesarem, ejusque heredes et successores, ex veteri jure reverterentur. Ac deinde anno 1538 die ultima Julii, Carolus Egmondanus, nulla relicta prole, decessit.

Nunc ostendere conabimur Ducatum Gelriae et Comitatum Zutphaniae, pleno jure pertinuisse ad Imperatoriam dignitatem; nullumque prorsus jus, in eum Ducatum et Comitatum, Guilielmo Cliviae et Juliae Duci competiisse. Jam diximus Gerardum Ducem Juliacensem, proavum maternum Ducis Guilielmi, Ducatum Gelriae Comitatumque Zutphaniae vendidisse, et omnia jura in eas regiones competentia, dimisisse, cessisse et transtulisse in Carolum Burgundiae et Brabantiae Ducem, Comitem Hollandiae, et eam cessionem factam fuisse, consentiente Imperatore, feudi domino, et Guilielmo, et

Adolpho, filiis ipsius Ducis Gerardi, qui erant in feudo successuri, non solum in vita patris confirmasse, sed etiam post ejus obitum eam cessionem et dimissionem ac translationem hujus regionis, a parente factas saepe laudasse, approbasse et confirmasse in certis tractatibus per eum initis, tum cum Maria Burgundiae Ducissa anno 1478, tum cum Maximiliano Caesare et Philippo Archiduce Austriacae illius filio anno 1498, atque cum eodem Philippo anno 1504. Manifestum igitur est eum qui prius suis juribus renuntiaverit, non amplius ad illa sua voluntate posse reverti. Et vera feudalis regula est: Vasallum feudum novum, consentiente Domino alienare posse (1); sed feudum antiquum, si alienare velit, non dominus tantum feudi sed et filii Vasalli et proximi agnati, qui in feudo sunt successuri consentiri, debent (2).

Porro, quum Guilielmus Dux obiisset, nullis filiis relictis, sed sola unica filia Maria Juliae Ducissa, quae matrimonium iniit cum Duce Cliviae, quaeque ex forma ejus quam memoravimus, investiturae solos masculos admittentis, succedere non potuit, necessario Guilielmus Dux,

---

(1) Vid Sand. ad Cons Feud. Gelr. Tr. I Tit. II Cap. I. N°. 1 et seq.

(2) Vid. Matthaeus de Afflict. Dec. 248 et Rosenthal de Feud. Cap. IX N°. 127 et 128.

filius Mariae, ab hujusmodi successione prorsus excludi debebat, quum jure cautum sit, foeminam in feudis non succedere (1), nisi forte in investitura aliter esset provisum; et quando foemina a feudo excluditur, etiam ab eo excludi ejus filium (2), nam nemo potest jus quod ipse non habet in alterum tranferre (3).

Porro Duces Juliacenses, qui per 64 annos nihil juris in eum Ducatum prae se tulerunt per praescriptionem tanti temporis fuere exclusi, quum omnis actio tam realis quam personalis, triginta vel certe quadraginta annorum silentio extinguatur (4), et etiam feuda hoc temporis cursu praescribantur (5), si consentiat dominus, et haec praescriptio certo nisa est auctoritate Imperatoris Frederici, nam ille ut et Sigismundus, infeudavit atque investivit Carolum et Maximilianum.

Contra cessionem hancce objectio principalis Clivensium fuit, quod (ut eorum verba referamus) etiam si cessio illa, tantum titulo venditionis facta esset, tamen, ex quo pretium fuit

(1) Sonsbec. Pars IX. N°. 128. Borcholt Cap. VII. p. 2. N°. 66 et Rosenthal Cap. VII. Th. 85.

(2) Vid. Cap. I. de Proh. Feud. alien. per Fred.

(3) L. 54. ff. de Regulis Juris.

(4) L 3 et 4 Cod. de Praescr. XXX. vel XL annorum.

(5) Vid. Sand. ad Cons. Feud. Gelr. Tr. 1. Tit. 1. Cap 2.

longe infra dimidium veri et justi pretii, nec cedens, nec illius heredes tenebantur cessionem observare. Nam unum aliquod oppidum aut unam praefecturam earum ditionum plus valere quam pretium quod dicebatur numeratum.

Huic objectioni respondentes facile fatemur, Ducatum Gelriae et Comitatum Zutphaniae majoris fuisse pretii quam octaginta millia florenorum Rhenensium, quod fuit pretium pactum, et Duci Gerardo non bene fuisse consultum, si ipse existens, in vera pacifica et quieta possessione, pro tantillo pretio eos vendidisset, cum Arnoldus Egmondanus longe plus pro suo jure, quod habere putabat in eas ditiones, accepisset. Sed quum Dux Gerardus numquam habuisset veram possessionem ejus Ducatus et Comitatus, neque ullam viam aut rationem scivisset, quibus ad quietam illorum possessionem et fructum perveniret, quippe qui non esset satis potens, quamadmodum ipse in suis literis cessionis fatetur, ad eos principatus vi et armis vindicandos et recuperandos; sequitur hanc cessionem ob pretii tenuitatem non posse dici simulatam, aut nullam, aut ob eam causam rescindi potuisse. Etiam in literis dixit, »Pro octoginta millia florenorum Rhenensium summa, »nobis per dictum Carolum legitime exsoluta, »et de qua nos tenemus pro contentis et satis»factis."

Et paulo post scribit; »Pro octoginta milli-»bus florenorum Rhenensium nos omne illud jus »sive sit magnum, sive mediocre, sive parvum »praefato Domino, Duci Burgundiae pro se et »suis praedictis, ut nobis, nostrisque heredi-»bus, successoribus reciprocos favores et ami-»citias sincere semper exhibeant, donavimus et »donamus irrevocabiliter."

Sed etiamsi revera nimis exiguo pretio ea cessio facta esset, (quod tamen non concedimus) Clivensium tamen objectio, quam memoravimus, Imperatori nocere non posset, propter jusjurandum, quod Dux Gerardus pro se et suis heredibus vel successoribus praestitit, de ea cessione, nimirum se ejus conditiones probe impleturum, eamque numquam retracturum, de quo supra mentio facta est; quia per hujusmodi juramentum ex communi omnium scribentium consensu, tam ipsi Duci quam ejus successoribus omnis facultas impugnandi, aut reprobandi eam cessionem, ex causa pretii vilioris, prorsus adempta est (1).

Sed ut fingamus Carolum Burgundiae Ducem, non habuisse possessionem, et Ducem Gerardum directas illas actiones retinuisse, ac successione ad Cliviae Ducem transmisisse, hoc tamen Caesari obesse non posset, quia apertissimi juris est;

(1) Vid L. 41 Cod. de Transact.

ducem vi ejus cessionis, debuisse ipsos principatus successoribus Ducis Caroli restituere: nam qui cessit jus suum alteri, si postea rei cessae possessionem assequatur, cogitur illam cessionario tradere, vel ejus successoribus; neque tum satis est si pretium tantum solvatur (1).

Illis qui partes Cliviae Ducis tuebantur objici etiam potuisset, Ducem Cliviae etiam cessante ea cessione non potuisse Ducatum Gelriae et Comitatum Zutphaniae obtinere, praesertim ob eam rationem quod hae ditiones tanquam feudum majora masculina ad dominam Mariam, ejus matrem, ac per eum, ad ipsum Ducem, descendere non possent. Occurrerunt, huic tacitae objectioni, affirmantes Ducatum Gelriae et Comitatum Zutphaniae, etsi essent feuda Romani Imperii ejus esse conditionis et naturae, ut possent non solum ad filios, sed etiam ad filias descendere. Et ad hoc probandum allegarunt privilegium ab Adolpho Nassavico rege Romano, olim Reinaldo postremo Comiti, et primo Duci Gelriae concessum, quo dicebant caveri, ut in Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae, cum deessent masculi haeredes et agnati, succederent filiae; et hoc privilegium revera suum exseruisse effectum, quum Reinaldus II anno 1343 mortuus esset, relictis

(1) L 65 ff. de Rei Vindicatione.

tribus liberis nempe Reinaldo III, Eduardo, et Maria, qui singuli deinceps regnaverunt. Mariam autem matrimonium inivisse cum Guilielmo Juliae Duce et peperisse filium ejusdem nominis, atque hunc fuisse primum Ducem Gelriae et Juliae, cumque a Carolo IV Romanorum Imperatore solemniter investitum fuisse in feudo novo, (ut testantur literae investiturae). Ad hoc respondendum, quum privilegium hocce per Adolphum Nassavium Reinaldo I, Duci Gelriae, concessum fuerit, hinc tamen non sequi ad Mariam (1), Ducis Clivensis matrem, jus succedendi in eo Ducatu et Comitatu pervenisse; quia mortuo Reinaldo illo, ultimo Duce Gelriae et Juliae, Sigismundus Imperator, Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae, Adolphum, Ducem Juliacensem, ejusque liberos masculos investivit. Unde confici potest, licet olim iste Ducatus et Comitatus potuisset etiam ad filias devolvi, tamen post investituram Adolphi et Gerardi, foeminam ab illis descendentem

(1) Haec Maria non confundenda est cum Maria, filia Reinaldi II. Maria de qua hoc loco agimus erat filia Guilielmi Ducis Juliae et Montis, qui mortuus est sine filiis; Maria tunc matrimonium iniit cum Johanne III Duce Cliviae ex quo matrimonio natus est Guilielmus qui sibi adserebat, Jus in Gelriam, de quo agimus. Vid. Genealogia Principum Juliae apud Slichtenhorst, Lib. IX. pag. 221. seq. et Ducum Cliviae Lib. XII. p. 469. seq.

non potuisse in iis succedere, ex privilegio Regis Adolphi Nassavii, quum per hujusmodi novas investituras, penitus tollerentur vetera privilegia, veluti etiam per non usum aut usum contrarium; idque eo facilius, quum sublato privilegio res revertitur ad priorem suam naturam, quod hic obtinuit. Nam feuda jam natura sunt mascula, et sine speciali privilegio ad foeminas non transeunt.

Clivenses etiam possessionem suam probare volebant ex consensu Caroli Egmondani (qua de re vidimus in Parte Priore), sed ipsi ibi contradicunt, quia ante et etiam in Comitiis Ratisbonensibus dixerunt Carolum nunquam jus aliquod habuisse in Ducatum et Comitatum (quod tamen non concedimus) neque secundum l. 54. ff. de R. J. Carolus jus quod ipse non habebat, alteri concedere potuerat. Propterea non poterat Carolus Egmondanus contra sua pacta Gorinchomii et Graviae cum Imperatore inita, quidquam statuere cum Clivensibus, quod fidem istorum foederum violaret; quum ab obligatione semel contracta nemo possit, adversario invito, recedere (1); quod maxime obtinet in principum contractibus, qui censentur semper optimo consilio fieri (2), quare si quid

(1) L. 12 Cod. de Actionib. Emti et Venditi.
(2) Sazius Consil. VIII. N°. 24 et 25.

forte Carolus Egmondanus tentaverit contra ea conventa, id omne fecit irritum et inane, quoniam quod fit contra legem et in fraudem legis ipso jure non valet nec juramento firmatur (1); ex quo colligit Johannes Faber (2), quod si princeps dedit pacto opposito ne alienetur, impetitur Dominii translatio. At cum Caesarea Majestas in tractatu Gorinchomensi permiserit Carolo Egmondensi possessionem sub illa conditione, ut eo sine liberis decedente, Ducatus Gelriae et Comitatus Zutphaniae ad Caesarem reverterentur, et sic ne in alium transferri possent, hinc plane sequitur, ex consensu Egmondensis, nihil in Juliae Ducem translatum esse; quamquam etiam alia de causa hic consensus Caroli Egmondemis nullum argumentum Clivensibus praebere possit, quum constet eum nihil egisse aut tractasse cum Juliacensibus, nisi per vim aut metum. Non enim ignotum est illum per seditiones populares in eas angustias adductum, ut vix unum oppidum in sua fide retinuerit, caeteris per Gelrenses vel per Clivenses occupatis; eratque periculum ne etiam illo adempto, Carolus prorsus ex suis ditionibus pelleretur, nisi cunctis, quae vellent Clivenses, se consentire simulasset.

(1) Vid. l. 5 Cod. de Legibus caet.

(2) In l. pen. Cod de Don. inter virum et uxorem.

Ex his igitur omnibus satis demonstratum putamus Gelriae ac Zutphaniae principatum optimo jure, et ex omnium quorum intererat consensu ad Carolum Burgundiae et Brabantiae Ducem, deinde ad successorem ejus Carolum V Imperatorem ejus pronepotem pervenisse omneque jus quod olim Dux Gerardus Juliacensis, proavus maternus Ducis Juliae et Cliviae, tunc regnantis habuerat, ita rite, juste et efficaciter, in dictum Carolum Ducem per venditionem et cessionem legitimam translatum, ac per imperatoriam investituram et realem possessionem postea secutam, confirmatum fuisse, ut Gerardus nihil omnino juris ad easdem ditiones potuerit in Cliviae Ducem, suum pronepotem transmittere, ipsamque possessionem (si quam hic adeptus est) adeo temerariam ac vitiosum fuisse, ut neque in possessorio, neque in petitorio judicio adversus Caesarem se tueri potuerit.

Atque ita huic etiam parti finem imponamus; et quamquam ipsi plane sentiamus multa huic nostro operi deesse, tamen in legentium animis optimum nobis praesidium esse paratum speramus, quo haec vitia humaniter condonentur.

Quum vero in prioribus ut et in hisce partibus saepe memoravimus literas, quibus jus Domus Austriacae in Gelriae Ducatum ac Zutpha-

niae Comitatum probetur; ultimo loco has literas apponemus, partim nondum quod sciam, alibi editas, partim, paucis tantum ob vetustatem cognitas.

Initium faciamus a *litteris Investiturae Ducis Adolphi Juliacensis;* datis Budae anno 1425, quia in hac epistola docetur Ducatum Gelriae et Juliae, post mortem Reinaldi Ducis Gelriae et Juliae, pleno jure ad imperium Romanum pervenisse, et hinc etiam colligere possumus Adolphum magis ex Feudo novo, quam antiquo investitum, etiam hoc Feudum tantum fuisse masculinum. Litterarum tenor hic est: Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croaciae etc. Rex, fatemur et notum facimus tenore prsesentium universis praesentis litteris inspecturis et audituris. Quamvis nos ex innata clementia semper inclinati sumus nostris, et sacri imperii principibus, dominis, subditis et fidelibus nos benevolos exhibere, in hoc tamen praecipue diligentiam adhibemus juxta posse nostrum, ut illos speciali favore et gratia persequamur, in quibus secundum exigentiam negotiorum, singularem fidem, honestatem nobis ex sacro imperio factam exsistentiam honorem et utilitatem cognovimus et in quorum industria plene fidere possumus. Quia sane Ducatus Gelriae et Co-

mitatus Zutphaniae cum omnibus et singulis hujus honoribus, dignitatibus, ditionibus Comitibus, dominis, viris vasallis, equitibus, redditibus, terris, hominibus, fortalitiis, arcibus, urbibus, oppidis, pagis, utilitatibus, juribus, jurisditionibus liberis, tribunalibus et judiciis, venationum prohibitionibus, et aliis omnibus suis appertinentiis, nihil excepto, ad nos uti Romanorum regem absolute, recte, et plenarie devoluta sunt, et pervenerunt per obitum, et ex hoc seculo decessum quondam Reinaldi, olim ducis Juliacensis et Gelriensis et Comitis Zutphaniae felicis memoriae, qui nullos ex corpore suo reliquit heredes comparavit coram nobis Adolphus dux Juliacensis, Montensis et Gelriensis, et Comes Zutphaniae et Ravensburgensis, princeps et consanguineus noster Carissimus, et nobis humili diligentia supplicanda, quatenus ei praedictum Ducatum et Principatum Gelriae et Comitatum Zutphaniae una cum omnibus honoribus et singulis juribus et omnibus aliis appartinentiis quocumque nomine nuncupentur et cum omnibus juribus quemadmodum ea ad nos uti Romanorum regem pervenerunt et devoluta sunt gratiose dare et concedere dignaremur. Quo circa nos intuitu amoris et fidei, quae nos in praefato duce Adolpho plene cognovimus, et experti sumus, et indies experimur, et etiam gratorum utili-

um et fidelium servitiorum, quae ipse nobis; et sacro imperio multoties, et saepe exhibuit, et post hac adhuc futuris temporibus exhibere potest et debet. Et benigne considerantes etiam, quod ipse, uti natus princeps, pro nobilitate sua ad hoc dignus est promoveri, et exaltari, et quod ad eum talia principalia feuda, et principatus tenere, et possidere pertinet et contingit. Et quod ipse etiam ex parte gladii est natus, verus agnatus, et nepos praefati ducis Reynaldi, et quo ipse post hac nobis et sacro Imperio melius, et fidelius inservire, et apud nos, et dictum sacrum Imperium permanere, ac nobis assistere possit et debeat, una cum suis heredibus et successoribus. Propterea animo deliberato, maturo consilio multorum nostrorum et sacri Imperii principum dominorum, nobilium, et fidelium, praefato duci Adolpho praedictum ducatum et principatum Gelriae, et praefatum comitatum Zutphaniae, cum omnibus suis praenominatis honoribus, dignitatibus, ditionibus, dominiis, comitibus, dominis, viris, Vasallis, equitibus, peditibus, arcibus, fortaliciis, urbibus oppidis, pagis, terris, hominibus, redditibus, censibus, utilitatibus monetis, baneriis, juribus, jurisdictionibus liberis, tribunalibus, et judiciis, venationum prohibitionibus, sylvis, pratis, agris, campis, aquis, fluminibus, paludibus sive vimnis, pascuis, agge-

ribus, piscationibus, vallibus, planitiebus, et aliis omnibus suis appertinentiis, nihil excepto, et cum omnibus juribus, quem admodum ea ad nos, uti Romanorum regem, in et ad praefatum ducatum et Principatum Gelriae, et comitatum Zutphaniae, per obitum praedicti ducis Reynaldi pervenerunt et devoluta sunt. Cum nos hodie Budae sederemus in nostro regiae Majestatis habitu adornati diademate sacri Imperii et aliis sacro sanctis paludamentis, quem admodum decet, gratiose dedimus, in feudum contulimus et tradidimus, damus, in feudum conferimus et tradimus, et illa ex Romanae regiae potestatis plenitudine, de certa scientia per praesentes, ita quo ipse et sui feudi capaces haeredes masculini generis, praefatos ducatum et principatum Gelriae et Comitatum Zutphaniae, una cum suis praenominatis ditionibus, dominiis, terris, hominibus et omnibus aliis suis appertinentiis, a nobis et sacro Imperio post hac haereditare, et in perpetuum uti verum principale feudum habere, tenere, possidere et eis uti et gaudere possint et debeant, sicut ejusmodi ducatus, principatus, comitatus et dominia de jure et consuetudine tenere sunt solita absque cujuscunque impedimento: nostro tamen et sacri Imperii, in aliis nostris juribus, et cujuscunque alterius jure semper salvo. Et praedictus dux Adolphus fecit nobis desuper

etiam consuetam promissionem, homagium et juramentum, se nobis uti Romanorum regi, fidelem, obedientem, et observantem futurum, nostrum bonum promoturum et malum adversurum, et quidquid feudalis Princeps erga suum verum, naturalem, ordinarium et feudi dominum, et sacrum Imperium de jure et consuetudine obligatus est facere. Et nos etiam supplemus ex nostrae Romanae regiae potestatis plenitudine omnes defectus qui in suprascriptis rebus possent notari et inveniri, qualescunque illi essent, et stabilimus et volumus de praedicta nostra regia potestate, quo hujusmodi defectus in praefatis rebus nostrae concessionis, et donationis ipsi duci Adolpho, et suis haeredibus, nullam oppositionem, impedimentum, aut damnum afferre, aut adducere possint et debeant. Et ideo mandamus omnibus et singulis comitibus, baronibus, nobilibus, equitibus, peditibus, viris, officiariis, judicibus, nobilibus burgimagistris, consiliariis, et communitatibus urbium, oppidorum et pagorum, et etiam aliis omnibus praefati ducatus Gelriae et comitatus Zutchaniae inhabitatoribus, et ad ea pertinentibus, de Romana regia potestate serio et districte per praesentes, quo praefatum ducem Adolphum, et suos feudi capaces haeredes, pro suis ordinariis, et naturalibus haereditariis dominis, uti ducibus Gelriae et comitibus Zut-

phaniae absque aliqua contradictione et mora suscipiant, admittant, habeant, et teneant, nec se contra eos, nec suos opponant, nec quicquam faciant ullo modo, et eis etiam, uti suis ordinariis et naturalibus haereditariis dominis consuetam promissionem, homagium et juramentum faciant, se eis fideles et obedientes futuros in omnibus rebus. Inquantum nostram et sacri Imperii gravem indignationem evitare volent, harum testimonio literarum nostrae Majestatus sigillo munitarum. Datum Budae, a nativitate Christi millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, proximo die jovis ante festum Pestecostes, regnorum nostrorum Hungariae trigesimo nono, Romani decimo quinto, et Bohemiae quinto. Sic erat subscriptum; Ad mandatum domini regis, Franciscus Praepositus Strigoniensis.

II. *Venditio ac Cessio Ducis Gerardi, facta Duci Carolo Burgundiae, de ducatu Gelriae ac comitatu Zutphaniae, facta anno* 1473 (*Excerptum*).

Gerardus Dei gratia Dux Juliacensis caet: Primo allegat jus suum in Gelria. Postea cessio proprie dicta ita continuatur.

Ex his causis et aliis nostrum ac haeredum et successorem nostrorum evidentem utilitatem

tangentibus, eidem domino Carolo Duci Burgundiae et Brabantiae, pro se suisque heredibus et successoribus Brabantiae ducibus dedimus, cessimus et transportavimus, ac omni meliori modo, via et forma, quibus id facere de jure possumus, damus, reddimus et transportamus per praesentes praedictos ducatum Gelriae cum suis juribus, et pertinentiis universis, ac omne jus, causam, occasionem et querelam, quae in eisdem Ducatu et Comitatu et ratione eorum nobis quovismodo competere et pertinere possunt et debent, nihil inde dempto aut excepto; et hoc pro et mediante 80000 florenorum Rhenensium, summa monetae Electorum Imperii, nobis per dictum dominum Carolum legitime exoluta, et de quanos tenemus per contentis et satisfactis."

Postea sequitur:

Nos quoque omnes et singulas literas et jura quae habemus, dictos ducatum ac comitatum, quomodolibet concernendos, ad manus dicti Caroli ex nunc trademus et deliberabimus realiter, quas quidem cessionem, dimissionem, transportum et omnia praedicta, nos pro nobis et heredibus ac successoribus nostris convenimus et promittimus bona fide, et in verbo principis, ac per juramentum nostrum teneret et observare.".

Nonnullis porro interjectis:

»Et praesertim si jura praedicta per nos cessa et transportata praevalere reperirentur dictae summae 80000 florenorum, nos omne illud plus, sive sit magnum, mediocre, sive parvum, praefato domino est consanguineo nostro duci Burgundiae pro se suisque praedictis, ut nobis, nostrisque haeredibus successoribus reciprocos favores et amicitias sincere semper exhibeant, donavimus et donamus irrevocabiliter per praesentes. In quorum etiam omnium et singulorum praemissorum majorem firmitatem et corroborationem, praedilectissimos filios nostros Guilielmum et Adolphum paterne requisivimus, ut praetactam cessionem et transportationem juris praefati, per eorum sigilla approbare et ratificare velint." Caet.

III. *Confirmatio cessionis. Ducis Gerardi cum investitura Caroli* (Excerptum).

Fredericus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariae caet. rex. (Postquam causam expressit ob quam Gelria cessit Duci Juliae, pergit).

Verum cum Gerardo duci praefato nec congrua occasio possessionem nanciscendi videretur, omne jus suum sibi ad ducatum Gelriae

et Comitatum Zutphaniae quovis modo competens aut competere potens, nullo penitus demto, illustri Carolo Burgundiae etc. duci, consanguineo nostro carissimo dederit, cesserit et transportaverit, uti de hujusmodi per solemnia documenta Ducis Gerardi praefati, ac Gerardi et Adolphi, ejus filiorum sigillis inpendentibus, munita, coram nobis producta, evidentissime cavetur. Et cum Ducatus et Comitatus praefati, a nobis sacroque Romano Imperio in feudum dependeant, nobis fuit per consanguineum nostrum Carolum viva voce, ac per Gerardum etc. Duces praefatos, patentibus suis literis ac oratoribus intervenientibus, cum instantia supplicatum, ut eïsdem gratificando, cessionem, transportationem et dispositionem praenarratam ratificare, approbare et Carolum consanguineum nostrum praefatum, de Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae jure cessionis praefati Gerardi Ducis Juliacensis, nec non de omni alio jure sibi in iisdem ducatu et comitatu antea competente, seu quod nunc sibi competit, et absque ipsius juris praejudicio investire et infeudare dignaremur, pro se suisque heredibus et successoribus Brabantiae Ducibus.

IV. *Infeudatio Maximiliani et Mariae suae Conjugis* (anni 1478.)

Nos Fredericus Divina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, caet:

Cognoscimus ac notum facimus per praesentes universis et singulis, quod ex gratia in feudum dedimus Maximiliano Archiduci Austriae, caet. similiter Mariae ducissae naturali Burgundiae, filiae nostrae carissimae, uxori suae, liberisque eorum legitimis ex eis natis, ducatum Gelriae, una cum comitatu Zutphaniae omnibusque juribus; quaecunque quondam Carolus Dux Burgundiae felicis memoriae, frater noster et princeps carissimus habuit ac tenuit in feudum a nobis et sacro Imperio, ac de plenitudine potestatis Imperialis, et ex certa scientia, virtute praesentium, ipsis in feudum damus et largimur quicquid de jure vel gratia ipsis concedere possumus. Ut posthac a nobis in feudum teneant, habeant, possideant, ac fruantur, prout de jure, usu et consuetudine ejusdem feudi, sine impedimento aliquo, aut contradictione cujusquam; super quo praefatus noster filius et princeps carissimus, pro se ipso et nomine dictae suae conjugis tenebitur, ad opus nostrum, praestare sacramentum fidelitatis, solitumque homagium, abhinc a data prae-

sentum intra diem sancti Michaelis proxime venturum, in manibus reverendissimi in Christo patris, domini Georgii sanctae ecclesiae Romanae, tituli sanctae Luciae in Sicilia Cardinalis, amici nostri carissimi. Itaque serio et districte mandamus omnibus praelatis, comitibus, baronibus, equitibus, nobilibus, oppidis et territoriis, vasallis, officialibus, magistratibus, gubernatoribus, conciliis, justitiariis, castellanis, civibus, communitatibus, habitatoribus et subditis, cujuscunque dignitatis, status aut qualitatis fuerint, ut praefato filio nostro Archiduci Austriae Maximiliano, tanquam domino suo naturali, similiter et praefatae dominae Mariae filiae nostrae carissimae, ipsius conjugi, eorumque heredibus ex ipsis procreatis, fideles existant et obedientes, permittendo ipsos pacifice uti ac frui praefatis principatu et comitatu, Regalibusque ac feudalibus eorundem nihilque penitus attentando in contrarium per quemcumque, aut quovis tandem modo, quatenus ipsi et eorum quilibet gravem nostram et dicti sacri Imperii indignationem, et punitionem cupiunt evitare. Harum literarum testimonio, sigillo nostro Imperialia appendente munitarum. Datum in Gretz decima nona die Mensis, Aprilis, anno ab incarnatione domini nostri, MCCCCLXXVIII. Regnorum nostrorum, Romani scilicet XXXIX. Imperii XXVII. et Hungariae

XX. Sic subscriptum super plica, ad mandatum domini. Imperatoris proprium.

V. *Tractatus Gorinchomensis* (anni 1528).

Dux Gelriae Carolus in perpetuum foederi Gallico omnibusque foederibus, quae in praejudicium Caesaris, ejusque ditionum essent pacta, renunciato, et idem quoque Status Ordoque Equestris Ducatus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae facito. Vice quoque versa ipse Caesar ejusque subditi, ditiones ac civitatis renuncianto pactionibus itidem omnibus, si quae forte in detrimentum Ducis Gelriae, ejusque subditorum ac ditionum essent initae. Caesari vicissim fidem suam Dux obstringito, eumque auxiliaribus copiis, ubi opus erit, adjuvato. Gelriam econtra, nullis tributis aut collationibus Caesari onerare liceto. Caesar porro, non habita ratione juris, quod in Gelriae Ducatum ac Comitatum Zutphaniae se habere judicat, Duci Gelriae concedito Ducatus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae satrapiam a se, ut Duce Brabantiae ac Comite Hollandiae, obtinere: Et idem quoque in haeredes ejus, sexus utriusque liberos ex legitimo matrimonio procreatos jus fasque transferto. Ac cum in finem Caesarea majestas, aut ejus procurator, dictum Gelriae Ducem, ut Imperii clientem ac bene-

ficiarium eodem Ducatu ac Comitatu investito ornatoque. Deficiente vero legitima utriusque sexus stirpe Gelriam ac Zutphaniam Caesari aut legitimis ejus, ut Brabantiae Ducis ac Comitis Hollandiae haeredibus Dux relinquito. Delatis vero eum in modum, ut est memoratum, ad Caesarem, ut Ducem Brabuntiae, ac Comitem Hollandiae, Ducatus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae districtibus, ut et civitate Groninga cum Omlandiis, ac urbe arceque Covardiae ac Penhemensi Trentiaeque ditione, Caesar vicissim suo ac haeredum Ducem ac Ducissarum Brabantiae Comitumque Hollandiae nomine, certo pollicetur baronibus Ordinique equestri ac civitatibus Ducatus Gelriae ac Comitptus Zutphaniae magnis minoribusque, ut et urbi Groningae et Omlandiis, Coverdiaeque ac Penhemensi praesidio cunctisque Trentiae incolis; se ipsorum privilegia, immunitates, consuetudines ac jurisdictiones, quae seu clientelas, territoria, civitates, agros aquasve spectent, ipsis olim ab Imperatoribus, regibus, principibus, ipsoque nunc Gelriae Duce Carolo, indulta indulgendaque, se ea omnia sarta tecta, illibataque habiturum, ipsisque firmaturum. Ad haec si, mortuo Duce, relicti fuerint ex legitimo ipsius matrimonio procreati vel mares vel foemellae, unus pluresque, veri haeredes ac successores Ducatus Gelriae et Co-

mitatus Zutphaniae, eos easque Caesar aut ejus haeredes, ut Duces Brabantiae, destinanto elocantoque vel liberis vel consanguineis suis; idque a parte Gelrica sub poena amissionis ejus juris, quod modo ad retinendum ab Imperio Ducatum Gelriae ac Comitatum Zutphaniae isto tractatu expressum a Caesare habetur: si quoque culpa de non elocatis, ut est condictum, liberis ac stirpe Ducis penes Caesarem aut ejus haeredes posterosque, ut Duces Brabantiae, haeserit, tum liberi ac successores Ducatus Gelriae ac Comitatus Zutphaniae ducere filias consanguineasque Caesaris, aut ejusdem filiis consanguineisque nubere haud tenentur. Si autem decedere vita Gelriae Ducem contigerit, relictis ex legitimo suo matrimonio pupillis ac liberis, qui annis essent minores, ii in tutela ac procuratione eorum sunto, qui intra Gelriae ditiones in id ab ipso Duce fuerint designati. Si vero de eo nihil penes ipsum statutum habeatur proceres ac status Gelriae Ducatus nominare ac declarare ejusmodi tenentur, seque eodem hoc tractatu staturos simul promittunto. Caesar praeterea, ut Dux Brabantiae, liberali manu ex urbibus, municipiis atque arcibus, Hardervico, Hattemo et Elburgo, caeterisque huc pertinentibus, Duci hoc bello ademptis, praesidia deducito, eaque singula Gelriae Duci restituto, ac cives sacra-

mento, quod Caesari ut Duci Brabantiae fecerant, absolvito; idque quam primum huic tractationi, ut est praemissum, Dux subscripserit, tabulasque ea de re in manus eorum, quos aut Caesar aut ejus nomine Margareta Austriaca ad id delegavit, solemni ac debito, modo tradiderit. Eodem quoque pacto Caesar Duci Gelriae Montfortium intra annum, ac post tractatus hujus subscriptionem, integre utendum ac possidendum tradito. Caesar insuper Duce in gratiam hujus tractus annuam ad vitam pensionem sexdecim millium aureorum, per semestria ex aerario publico solvendam, adscribito, addita suis praeterea impensis ducentorum ac quadraginta quinque ordinariorum equitum cohorte: ea nimirum lege, ut eorum quinquaginta Dux in omnem eventum pro Caesare his in oris paratos perpetuo habeat: caeteros, prout libuerit, modo ne adversus Caesarem, sibi habere divotos atque obsequentes poterit.

VI. *Tractatus Graviensis* (anni 1536). Excerptum.

Dux Gelriae foederi Gallico, Holsatico, Danico contra Caesarem inito renunciaret: idem faceret a sua parte Caesar. Idem quoque intra annum Carolum Ducem ejusque legitimos

utriusque sexus haeredes Ducatu Gelriae ac Comitatu Zutphaniae nomine Imperii investiret atque ornaret. Non vero usurparet Caesar, vivo Carolo aut ejus legitimis haeredibus, titulum Ducis Gelriae ac Comitis Zutphaniae; eique relinqueret actiones integras, quascunque haberet in ditiones, quae Caesari non essent subjectae. Pro cessione atque actione, quam haberet in ditionem Groninganam et eas oras, ut et pro cessione aliarum actionum tam veterum, quam novarum, numeraret ei Caesar semel aureorum triginta quinque millia et praeterea in annos singulos viginti quinque aureorum millia. Ultrajectenses vice ejus, quod in eos praetenderet, viginti millia persolverent. *caet.*

TANTUM.

THESES.

I.

Si in ineunda societate de partibus lucri et damni nihil convenerit, tunc illae partes devidendae non sunt secundum factam collationem sed aequales esse debent pro numero sociorum.

II.

Pignus tacitum locatori competit in invectis et illatis in praedium Urbanum, non vero in praedium rusticum.

III.

Art. 113 et 135 C. N. non restringendi videntur ad eos qui judicis sententia absentes de-

clarati sunt; sed pertinere ad quoslibet qui ita absunt ut ignoretur ubi sint, et utrum vivant an mortui sint.

IV.

Quamquam nuptiae regulariter celebrari debeant non tantum coram magistratu qui actis status civilis praeest, sed etiam publice in curia municipali; tamen coram magistratu v. gr. inaedibus privatis alterutrius conjugis celebratae, propterea non sunt nullae neque nullae declarari possunt.

V.

Praescriptio longi temporis, non ex jure naturali, sed ex legibus mere civilibus fluxisse videtur.

VI.

Ut secundum Art. 381 Cod. Poen. furtum morte puniri posset, requiritur, ut fures arma, quorum in §. 3. mentio fit, secum adportaverint non sufficit si inventis uti fuerint.

VII.

Amputatio manus dextrae in poena scripta,

in crimine laesae majestatis et parricidii, decreto d. 11. Dec. 1813 tacite abrogata videtur.

VIII.

Laudandi sunt legislatores nostri qui mortem civilem aboleverunt. Merito autem animadvertit Amp. REHBERG (Ueber den Cod. Nap. pag. 105). »*Wie kan ein mensch zugleich vor dem* »*gesetze todt, und in der wirklichkeit leben*»*dig seyn?*" caet.

IX.

Adsolent hodie e Germanis complures viri docti etiam in gravioribus ac subtilioribus disdisciplinis tractandis Germanicum sermonem sermoni Latino praeferre. Non tamen omnes Germanos huic opinioni addictos esse, documenta sint verba viri celeberrimi HEEREN qui opusc.: *über die Erhaltung der Nationalität*, (*Werke*, II. *p.* 29.) rectissime dicit, »*die höhere wissenschaftliche Bildung an keine be*»*stimmte Sprache gebunden, wenn sie sich gleich* »*irgend einer zu ihrem Vehikel bedienen muss*, »*ist Gesammteigenthum der Menschheit, insofern* »*sie einen Werth darauf legt..... Nicht ohne* »*Ursache hatte daher Europa für diese wis*»*senschaftliche Cultur eine allgemeine Sprache*

»*angenommen, und bei allen Vortheilen, wel-*
»*che die Veredlung der Muttersprachen haben*
»*mag, ist die Vernachlässigung der gelehrten*
»*Sprache dennoch ein nicht zu berechnender*
»*Verlust.*" Usum sermonis Latini multis nominibus commendat etiam Vir Ampliss. COLLOT D'ESCURY, *Holl. Roem in Kunst. en Wetens. T.* III. *p.* 30 *seqq. et Aanm. p.* 225. *seqq.*

X.

Toto animo amplectimur sententiam eximii Oratoris Belgici V. D. PALM, »*Zoo wij menschen*
»*alleen de maatschappij bestuurden, dan zou*
»*misschien de noodzakelijkheid de maatregelen*
»*der ondeugd en gewetenloosheid kunnen wet-*
»*tigen, maar daar een Opperbestuur der Voor-*
»*zienigheid aller staten lot beslist, kunnen wij*
»*ook denzelven geen duurzaam geluk bezorgen,*
»*zoo wij niet onze bedoelingen en daden aan*
»*den wil van het Opperwezen toetsen.*"

X I.

Non alieni sumus a votis eorum, qui poenam capitalem prorsus e civitate tolli cupiunt. Quo de argumento recte nobis dixisse videtur ROUSSEAU Contr. Soc. II. C. 5. »*On n'a droit de*
»*faire mourir, même pour l'exemple, que ce-*
»*lui, qu'on ne peut conserver sans danger.*"

XII.

Errant qui dicunt foedus unionis Ultrajectinae fuisse unicam vel fuisse veram patriae nostrae legem fundamentalem.

XIII.

Satyrae contra Cardinalem, dictum de Granvelle, editae valde offecerunt patriae nostrae conditioni qualis sese habebat anno 1563.

XIV.

Assentimur viro Cl. G. WTTEWAAL, dicente, Orationis suae *de agricultura, salutis publicae vero fundamento* pag. 7. »*Facere non possum,* »*quin eam laudem rempublicam, quae funda-* »*mentis agriculturae constituta sit ita ut opi-* »*ficia, quantum id fieri possit, agricultura, et* »*mercatura opificiis nitatur. Ubi enim, tria* »*ista genera, quorum alterum alterius opem* »*flagitat, amice conspirent, ibi demum salus* »*publica incredibile modo amplificatur.*"

XV.

Ut praedia locentur in longus tempus, agriculturae perutile esse contendimus.

E R R A T A.

Pag.	17	*vs.* 16	de eorum	*lege*	de Comitum
—	20	— 11	moriuntur	—	mortui erant
—	29	— 4	praeses Covordium	—	Praeses Covordii
—	35	— 17	principium	—	principum
—	38	— 1	Urbs	—	Urbe
—	44	— 15	accepisset	—	accepisse
—	45	— 1	initu	—	initio
—	49	— 28	vellicant	—	vellicabant
—	51	— 24	binis	—	binos
—	52	— 8	incommodatum	—	incommodum
—	53	— 1	depulsus	—	sepultus
—	62	— 4	resticanam	—	rusticanam
—	64	— 14	Camerarum	—	Cameracum
—	71	— 26	statueruntur jurarunt	—	statuerunt et jurarunt
—	73	— 12	dignasta	—	dynasta
—	74	— 5	promoverat	—	pervenerat
—	76	— 28	occultando	—	occultato
—	81	— 12	et ex	—	ut ex
—	84	— 14	malitionum	—	molitionum
—	—	— 25	iisque ipsum	—	ipsorumque
—	87	— 29	Contraci	—	Cortraci
—	90	— 14	se, ut principem	—	se cum principem
—	95	— 24	Burgos	—	Burgis

Cetera corrigat B. L.